



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Pars III. de dignitate Perfectionis ex parte diuinæ prouidentiae erga perfectos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

cupit, vt nequaquam solis operatus desideris moriatur, sed desideria abundanter opere compleat, & operibus suis exemplum sanctitatis aliis, subsidium necessitatis attribuat. Charitas est, quæ iustos, atque perfectos ad sanctè cogitandum & sanctè desiderandum instigat, hæc verò nullo modo solis cogitationibus, nec solis desideris impletur, sed carnis, & appetituum mortificatione, & omnium bonorum operū exercitatione vt cumq; satiatur. Charitas enim sola est, vt Hugo Victorinus scripsit, quæ ab initio seruis Dei, mundi huius illecebras fugere, voluptates calcare, carnis concupiscentiam cohibere, desideria frangere, honores contemnere, postremò vniuersa huius mundi blandimenta respicere, ipsam quoque præ desiderio vitæ perpetuæ mortem suadet non timere.] Quæ ista suadet, imò ista præcipit, quo pacto cordis nostri arcem possidens, si instructuosa tantum desideria, videat, silebit? Istud ergo discrimen inter bona desideria sanctorum, & bona desideria tepidorum, aut iniquorum, si quæ huius generis habeant, diligenter agnosce. Quòd hi, si aliquando verbi Dei auditione compuncti, bona cogitant, aut bona cupiunt, numquam vsque ad perfectionem boni operis, & ad destructionem peccati progrediuntur. Meritoq; Dominus eos per terram positam secus viam, & per durissimam petram, & per agrum spinis & tribulis opplerum, designat. Nam terram illam, cum bonam aliquam inspirationem conceperit, volucres cæli, id est, demones deprædantur: & insensibilem petram ariditas, & humoris vacuitas arefaciunt: atque agrum spinis obrutum spinæ, & tribuli curarum temporalium infrugiferum, ac sterilem efficiunt. Impij potentes sunt, sed vt faciant malum, ad virtutem autem pusillanimes, & impotentes, quia bonum facere nescierunt. Pulchrè enim de illis dixit Gregorius: Dura præ amore sæculi quasi quædam mollia, ac delectabilia ferre parati sunt: dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus à mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuaadet, & tamen vesana iniquorum mēs plus se esse, qui aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gaudet: plus acerbitate fatigationis,

Hug. tra.
de laud.
charit.

Luc. 8.

Greg. 20.
mor. c. 16.

A quam quietis dulcedine pascitur. Hoc euenit sanctis cogitationibus, & desideris, cum in corda malorum incidunt, quod istorum culpa nullum boni operis fructum ferunt. At iusti, & præcipuè viri perfecti, cum à Domino sanctis cogitationibus, & piis desideris visitantur (& iugiter visitantur) tamquam terra bona, & optimo bonæ vitæ ac sanctorum operum fructu replentur. Sunt ipsi oues Christi pastoris boni, quæ vocem eius audiunt, & operè illum sequuntur, quia sciunt vocem eius: Alienum autem sequuntur, quia non nouerunt vocem alienorum.] Audiunt, inquam, vocem Domini, cum eius inspirationes percipiunt, cumque ab eo immixtis desideris tanguntur. At sequuntur illum, cum gressibus sanctorum operum voci eius, id est, cogitationi & desiderio ab ipso dato respondent. Non sequuntur autem aduersarium noxia suadentem, & ad verita prouocantem, quia vocem eius, id est, suasionem eius, nec admittunt, nec agnoscunt. Tu igitur qui hæc legis, hoc perfectorum donum admirare, quòd scilicet, Deo dante, & dispersiones Israël colligente, semper bona cogitant, semper etiam sancta & cœlestia desiderant. Si autem vis eiusdem doni particeps esse, ad mentis puritatem habendam enitere. Fac quantum potueris illud Bernardi, qui ait: Omnes cordis distractiones, & mentis fluctuationes in vnum collige, & in solo Deo totum desiderium tuum fige, vt tibi sit cor tuum thesaurus tuus desiderabilis, multumque amabilis. Ipse frequenter visitat, & libenter inhabitat tranquillitatem cordis, & ortum quietæ mentis, quoniam pax est, & in pace locus eius. Propterea talem te prepara, vt tecum adsit Deus, sit in ore, sit in corde, tecum eat, tecum redeat, nec à te recedat.] Hoc Bernardi documentum perfecti perfectè custodiunt, & plusquam dici potest, à conspectu Dei numquam recedunt, quem semper habent suarum cogitationum & desideriorum testem, & intimorum cordis inspectorem. Minus verò perfecti, qui ad perfectionem anhelant, idem documentum, & memoria teneant, & enixè custodiant, quia validum est virtutis exercendæ instrumentum, & magnum assequendæ perfectionis re medium.

Bern. lib.
de consc.
non longè
à primis.



PARS TERTIA.

De dignitate perfectionis ex parte diuinæ prouidentie erga perfectos.

NONDVM perfectionis elogia completa sunt, sed quæ supersunt, vt effectus diuinæ prouidentie erga perfectos, in hac postrema parte explicamus. Non quia supra dicta à diuina prouidentia res iustorum curante non manent (ab ea enim sicut à purissimo fonte deueniunt) sed vt ista quæ sequuntur, sub hoc nomine exposita, etiam superiora declarant, & quo ordine Deus sanctos commutet, atque perficiat, menti legentium aperiant. Primò ergo ipsam diuinam prouidentiam erga perfectos, quàm suauis, ac prouida sit, deinde verò eius effectus, quibus totum opus sanctitatis perficit, declarabimus.

De singulari prouidentia Dei erga perfectos.

CAP. XXIV.

DE prouidentia Dei erga viros sanctos, atque perfectos agere consulo in locū istum distulimus, vt tamquam splendidissimus sol su-

A periora, quæ scripsimus, & inferiora quæ dicemus, illustret. Sicut enim sol in medio corporū cœlestium collocatus nō tantum corpora, quæ deorsum sunt, verum etiam quæ sursum collocantur, illuminat: ita diuinam prouidentiam hoc loco tractamus, vt priora sanctorum dona, & posteriora collustret. Quam non

incongruè cum sole contulimus, quia sicut ille omnia corpora illustrat, & fouet, ita prouidentia viros sanctos non tantum luce supernaturalis cognitionis illuminat, sed etiam ardore amoris cœlestis inflammat. Et quemadmodum ille luce & calore cuncta viuificat, & ad debitum perducit naturalis perfectionis augmentum, sic ista fidei, & sapientiæ luce, ac amoris calore animas sanctas ad concupitam prouehit sanctitatem. Deum habere omnium rerum etiam minimarum prouidentiam manifestum est. Ipse enim, cum sit vniuersorum causa non necessaria, sicut ignis cum generat ignem, sed libera, & intellectu, ac libero arbitrio pollens, debet ea in suos fines dirigere, debet & gubernare, debet & instrumeta adipiscendi finis conferre, & hoc nihil aliud est, quam prouidentiam, & rerum curam habere. Tua autem Pater, inquit Sapiens, prouidentia gubernat, quoniam dedisti, & in mariam, & inter fluctus semitam firmissimam.] Quenam, o pater, tua prouidentia gubernat? Sine vlla hesitatione existimo, quia gubernat omnia. Regit homines, quos fluctibus maris, & reliquis periculis eripit, & eis non solum vitam, & inspirationem, sed & omnia necessaria subministrat. Et regit vniuersa creata quæ homini tamquam hero, & tamquam filio ad æternam gloriam assequendam procreato seruire facit. Si autem vultis hanc vniuersorum prouidentiam non tam auribus audire, quam oculis cernere, considerate coruos, qui non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos.] Respicite etiam reliqua volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.] Quorum tam specialem curam habet, ut nec ex duobus passeribus, qui affeuerunt, vnus eorum cadat super terram sine patre vestro.] Considerate quoque lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomô in omni gloria sua coopertus est sicut vnus ex istis. Et quid est scenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit.] Denique tanta est huius prouidentie certitudo, tanta paternalis, & diuinæ vniuersorum curæ lux, ut (exceptis quibusdam cæcis hominibus qui nec infinitam claritatem videre poterunt) omnes philosophi, & omnes gætes in ea assenda, & cõsuetudine cõsenserint. Et, ut verbis Lactantij vtar: Nemo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cælum tollens, tamen nesciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur: aliqua tam esse non intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione prouidentiam, nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione cõstat, consilio maiori aliquo sit instructum.

Deus etiam inter omnes res sublunares maiorem hominum prouidentiam habet, quorum causa cætera condidit, & ut hominibus obsequantur, in perpetua quadam mutatione, & in irrequieta generationum, ac corruptionum successione conseruat. Quod & Paulus aperte indicauit, cum scripsit: Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt. Non utique negat Deum bonam prouidentiam habere, qui muscarum & culicum prouidentiam habet, & minimis quibusque animalculis quotidie mesam apponit, & pabulum conueniens administrat, sed diuersas qualitates huius prouidentie distinguit. Animalia enim cõmuni quadam ratione regit, & in finem naturalem dirigit; homines verò, propter quos vniuersa fabricauit, magis speciali cura prosequitur, & in finem supernaturalem (quod ad se attinet) misericorditer ducit. Vnde bene Chrysostomus ait, ut has diuersas prouidentie qualitates asserat: Suntne, quæso, boues Deo curæ: curæ quidem sunt, verum non ita, ut de iis

Sap. 4.

Luc. 12.

Matt. 6.

Matt. 10.

Matt. 6.

Lactant. lib. 1. diu. inst. c. 2.

1. Cor. 9.

Chrys. bō. 2. in 1. ad Cor.

A legē instituat.] At propter homines non tantum omnia condidit, sed & legem instituit, & præcepta sancit, eo ipso ostendens, quia vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.] Sed qui erga vniuersos homines prouidentissimus Pater est, & per doctrinam vnigeniti filij sui à cunctis se vocari patrem præcepit, erga viros sanctos, atque perfectos specialissimam & suauissimam quandam prouidentiam exercet. Quam Ambrosius breuissima, sed profundissima declarauit sententia, dum dixit: quia Dominus dormit tepidis, vigilat perfectis.] Hoc ita dictum est, non quia Deus tepidorum obliuiscatur, quorum vacordiam sustinet, quorum defectus reprehendit, quorum pusillanimitatem monet, quorum torporem excitat, quorum negligentissimam vitam, nisi emendentur, seuerè castigat: sed quia perfectorum cura, & sanctorum prouidentia, quam habet, in signis, in effectis, in donis, in prodigiis, in mirabilibus perfectorum gratia patris, in immensum magis elucet. Hos oculis benignissimis ex æternitate respexit: hos ardentissima vi charitatis amauit: hos in cumulatissimum præmium elegit: hos per media quædam stupenda in æternam gloriam destinauit; hos vocare, hos iustificare, hos magnificare decreuit. Sed miramus ista, quæ ad arcanum diuini cordis spectant, & ea quæ exterius apparent huius singularis prouidentie signa vestigamus. Respicit Dominus sanctos suos, non ut hostes sibi rebelles, non ut seruos seges, atque vacordes, sed ut amicos charissimos, ut filios dilectissimos, ut sponsas amantissimas, quas in conclauis dulcissimæ protectionis abscondit. Oculi enim Domini super iustos, id est, facies irata, super facientes mala.] Amat eos tenerimo amore; & zelo magno omnem ipsorum amorem sibi impendi flagitat, & si quid extra Deum immoderata ment, & non gratia ipsius ament, acerrimè reprehendit. Non communibus tantum beneficiis, sed singularibus quoque donis, & stupendis charitatis suæ signis ipsorum animas cumulat. Ideoque ipsi omnia bona, quæ habent, tam maiora quam minora à Deo benignissimo prouidore accepta profitentur. Sicut Iacob, qui interrogatus à maiore fratre, an mulieres, & paruuli, quos secum ferebat, ad ipsum pertinerent, respondit: Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo.] Per quæ placidè illum docuit (ut inquit Chrysostomus) quanta erga se fuerit Dei prouidentia. Perfecti enim non solum eximia Dei dona suscipiunt: sed manifestissima etiã luce esse Dei dona deprehendunt, & ut vniuersi id ipsum agnoscant, & Domino pro eis laudes, & honores tribuant, à Domino profecta esse tum verbis tum factis ostendunt.] Denique in omnibus tum prosperis, tum aduersis benignissimus Pater viros perfectos specialissima cura, & sollicitudine regit. Hoc est enim, quod Laurètius Iustinianus prædicat, dum sic scribit: In tribulatione utique comitatur iustos, ut illos in præsentiarum eripiat, & glorificet in futuro. Comitatur, inquam, ipsos in negotiis, ne delinquant in periculis, ne cadant in prosperitatibus, ne se extollant in laboribus, ne deficiant in dubiis, ne errent: & in huius vitæ itineribus, ne æterna vitæ consolationem amittant.] Hæc, quæ beatus iste pater dixit, sacrarum Scripturarum confirmat exemplis, quæ ipsius verbis non grauius subiicere. Direxit, inquit, in actibus suis longæuum Noë, quem solum super terram coram se reperit iustum. Fuit cum Abraham patriarcha, illumque; à Pharaonis & Abimelech protegit infidiis. Innocentem Ioseph ab adultera custodiuit amplexu, atque Ægypto prætulit vniuersæ. In nube, & igne per desertum ambulauit cum Moise, ac in ducatu populi optimè

1. Tim. 4.

Bmb. lib 4. in Luc.

Psal. 33.

Gen. 33. Chrys. bō. 58. in Gen.

Iustina. lib. 2. Triūphali Chrysi agone c. 25.

robora

roboraui. Citharædam quoque puerū, ne in superbi regis incideret manus, deseruit numquam.] Hæc exempla diuinæ prouidentia erga iustos ille protulit, quæ peniculatè considerata luce clariùs ostendunt, quantum Dei prouidentia, qua perfectos curat, atque defendit, in effectis aliorum prouidentiam excedat.

Habet igitur Deus prouidentiam omnium rerum ratione carentium, tamquam suppelletilium domus hominis, cuius causa eas ex nihilo fecit: Habet prouidentiam impiorum, velut malorū, & infidelium feruorum, quos sua bonitate poscente à malis abducit, & vt emédentur, benignè corrigit: Habet prouidentiam communium iustorum, velut amicorum, quos donis, & beneficiis in amicitia conseruat. At prouidentia perfectorum transit in curam & in sollicitudinem, & est velut prouidentia sponsæ, ac dilectissimorū filiorū. Quorum vna cura est patrem diligere, patri placere, & sine vlla ambiguitate omnes suas curas in sinū piissimi patris iactare: secundum illud, quod his singularitè dictum est: Omnem sollicitudinem vestram proicietes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.]

1. Pet. 5.

Quanta putas, est ista cura? Certè eximia, plusquam aut dici aut excogitari potest, qua Deus velut prouidentissimus Rex, non iam regnū suum, quod generalem curā exigit, sed palatium suum, & cœclauē suam, quod specialem curā poscit, sapientissimè regit, sollicitissimè que gubernat. Cuius specialis sollicitudinis meminit Gregorius, dum in hunc modum scripsit: Quasi Rex Dominus sedet in corde, quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente quippe quam inhabitat, dum torpentia excitat, in quietam frenat, frigida accendit, accensā moderatur, emollit rigida, fluxa restringit, ex ipsa hac diuersitate cogitationum, quasi quidam illum exercitus circumstat. Certè quasi Rex sedet, circumstante exercitu, quia præsidentem illum mentibus electorum circumstat turba virtutum.] Hanc turbam virtutum, quam ipse animæ sanctæ habitatrix fecit, non otiosam esse permittit, sed ad opus excitat, & iugiter ad laborem hortatur, vt hæc anima sibi dilecta semper pulchritudine crescat, & ampliores in dies opes acquirat. Hinc fides Abrahæ tam singularibus experimentis probata est, vt reputaretur illi ad iustitiam; & ex filio, quem morti obtulit, non solum copiosam posteritatē acciperet, sed mundi etiam remedium oblineret. Hinc Iobi patientia tentata est, vt post non multos tentationum dies, omnia quæ amiserat, multiplicata reciperet, & in patientiæ posteris daretur exemplum. Hinc Tobiaë robur animi examinatum est, vt corporis cæcitate percussus, acie mētis maiora præsentiret, & à calamitate liberatus, corporis miserias non timeret. Ista quid nisi virtutum exercitia sunt, & singularis prouidentia incitamenta, quibus Deus perfectos viros erudit, & ad maiorē perfectionē promouet: Propter iustorum perfectus nō solum virtutes aduersis casibus exercet, sed & natura mouet, & cum opus est, cursum rerū naturalium immutat. Quod & in transitu maris Rubri, & in transitu Iordanis figuratū videmus. Sicut enim tunc mare fugit, & Iordanis conuersus est retrorsum,] vt deserentes Ægyptum siccis vestigiis ad terram promissam peruenirent: ita propter sanctorum virtutem & transitum illorum in cœlum, ordo rerum sæpè mutatus est, vt illi sine aliquo impedimento, aut cum maiori commoditate viam sanctitatis tenerent. Quoties Dominus propter sanctos suos, è terra riuos aquarū produxit? quoties panes illis miraculosè ministravit? quoties inter noctis tenebras eisdem lucem oriri fecit? quoties sine medicamentis salutem restituit? quoties inevitabilibus periculis exemit? quoties mortem

Greg. 20.
mor. c. 4.

Pf. 123

A iam imminemtem ablegauit? quoties de rebus abditissimis erudit? Miraculorum plena sunt sanctorum historia, quibus Deus apertè monstravit, se propter viros perfectos ordinem naturæ mutare, & suauiter ipsorum, quàm aliorum hominum prouidentiam habere.

Huic prouidentia conantur aliquando mali resistere, sed nihil omnino proficiunt, imò tunc diuina potètia feliciori successu, quod volebat, perficit, cum humana imbecillitas id impedire gestit. Laban de opibus Iacob generi sui tristatur supra modum, & vt eas minuat, atque decurtet, mutat mercedem illius decem vicibus.] Astus tamen iste irritus, & inanis à Domino factus est, qui ipsa mutatione mercedis greges serui sui multiplicabat, & eius substantiam augebat. Ad eodè vt eius Leuiti dicerent: Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclutus.] Fratres Ioseph inuidia tabidi illum Israhelitis vendiderunt, ne aliquando diuina prouidentia fausta somnia completeret, & eos pestibus minoris fratris subiiceret. Hoc namq; stultè ipsorum consilium ex verbis, quibus se mutuo ad fraternam cadem hortabantur, manifestè clarescit. Ecce, aiebant, somnator venit: venite, occidamus eum, & tunc apparebit quid illi profunt somnia sua.]

Gen. 31.

Ibidem.

B At innocenti seruitus, innoxique captiuitas, diuinitus immissa somnia compleuerunt. Tunc enim de ergastulo fuit raptus ad thronum, cum fratribus in Ægyptum frumenta quærendi gratia venientibus, potuit minor secundum decretum Dei à maioribus adorari, & iunior senioribus imperare. Daud tandem fratrum suorum minimus, & ab ipsis quoque persecutione passus, qui nollet eum à caulis ouium ad castra transferri, Israhelis Saluator canitur, & hostium præ Saule rege fortissimo oppressor, & interemptor asseritur. Persequitur etiam Dei electum ipse Saul tamquam suæ gloriæ raptozem, & illum centies molitur occidere, quem Deus & vitare, & regnare, & gloriosissimè rempublicam illam gubernare decreuerat. Sed frustra persequitur, quoniam impij regis odiis, amabilior, persecutionibus, illustrior, & rerum priuatione, Rex ditior efficitur. Nihil proficis edax inuidia, nihil vales infirma hominum imbecillitas, dum in Dei prouidentiam infurgis, quia licet te ipsam supra vires efferas, licet supra cogitationem coneris, licet tibi mundi, & diaboli phalanges adiungas, numquam tamen aut sanctos opprimes, aut electos excindes, aut Dei voluntatem impedies. Ille quidem omnes sanctos protegere, omnes nobilitate, omnes singularissimis medijs in suum regnum efferre disposuit, non tamen quia multi sunt illi, quos dinumerare nemo potest, minor est cuiusque illorum cura, quàm si solus esset, & ad Dei prouidentiam pertinuisset. Huic enim, quæ infinita est, & nullis comprehensa limitibus, idem est, aut vnum electum defendere, aut plures, aut innumerabiles asseruare. Quamobrem quisque illorum docetur dicere, quod sponsa in persona cuiusque decantabat: Dilectus meus mihi, & ego illi. Ego quidem, ait perfecta anima, superna gratia præuenta, & abundantissimis subsidijs adiuta, ita intendo illi, ac si nihil aliud esset in mundo, cui deberem intendere. Et ille vicissim ita intendit mihi, ac si nulla esset anima iusta, quam deberet adiuuare. Exponat nobis Bernardus pulchrè, vt solet, hanc singularem electorum curam, nulla eorum multitudine obrutam, nulla ipsorum necessitate præpeditam. In solens verbum, inquit, & ego illi.] Nec minus insolens dilectus meus mihi:] nisi quoddam vtroque insolentius vtrumque simul. O quid audet cor purum, & conscientia bona,

Gen. 37.

Cant. 2.

Bern. ser.
98. in ed.

& fides non ficta? Mihi, inquit, intendit. Itane huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter, & administratio vniuersitatis incumbit? Et cura saeculorum ad sola transfertur negotia, imò otia amoris, & desideria huius? Ita plane. Ipsa est enim Ecclesia electorum, de quibus Apostolus, Omnia, inquit, propter electos. Et cui dubium, quòd gratia, & misericordia Dei sit in sanctos eius, & respectus in electos illius? Ergo prouidentiam cæteris creaturis non negamus, curam sponsa vendicat sibi. Si ita est, imò quia ita est, quòd nò dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël, nec iustorum multitudo alicuius eorum aut obliuionem, aut minùs sollicitam curam inducet, quid mirum si nihil humana malitia illis officiat, quos bonitas, & sollicitudo diuina vndeque circumdat? Quilibet profectò electorum, sed præcipue perfectorum, Deo curæ est, velut filius sibi charissimus, de cuius reditu ad gratiam Angeli gaudent, dicente eodem Domino: Amen dico vobis, Gaudium erit Angelis Dei super vno peccatore penitentiam agente. De cuius in gratia & virtute profectu spiritus cælestes exultant, dum vident socios, & fratres suos communis regis (quam sibi non minuunt) familiaritate ditari. De cuius perfectione ac sanctitate superna curia letatur, quia eorum sanctitas eius decorem promouet, & verissimas opes adauget. Hunc Deus primò ab infamia peccati, quam ex primis parentibus traxit, per lauacrum regenerationis emundat. Hunc indumento filiorum, scilicet gratia, & diuina participatione vestit. Hunc, si fugiat, vocat; si infamiat, expectat; si fordibus iniquitatis se turpet, mansuetè dissimulat. Hunc paternè redatum, & misericorditer inuitatum, si redeat, amantissimè recipit, receptum stola iucunditatis amicit, amictum ad penitentiam excitat, excitatum multiplici donorum copia circumdat. Hunc demoniis impulsibus impugnatum, à casu liberat, liberatum consolationibus pascit, passum sibi similem efficit, & velut simillimum ac amicissimum in minimis etiam regit, monet, atq; gubernat. Beatus igitur, cuius Deus Iacob adiutor eius, quia spes eius in Domino Deo ipseus, & quoniam in eo sperauit, liberabit eum, ac proteget eum, quoniam cognouit nomen eius. Beatus, inquam, cuius Deus singularem ac sollicitam curam suscepit, qui in spiritu liberatur, ne cadat, & si in aliquod malum impingit, statim abundantissimis auxiliis iuuatur, vt resurgat, & modicus aliquando casus, dum eum ad magnum profectum excitat, initium maioris est meriti, non causa ruina.

At dices, Deus sanctorum corpora magnis sæpe malis discipi, & dissipari permittit. Nam & tunc sanctos martyres taccamus, (qui lapidati sunt, secti sunt, combusti sunt, excarnificati sunt, & in occasione gladij mortui sunt) quis non animaduertit perfectos viros aduersa corporis valetudine sæpe consumi, doloribus vrgeri, contumeliis impeti, infamiis obscurari, tentationibus impelli, & rerum temporalium amissione probari: Hæcne est erga illos prouidentia Dei? Hæcne est paterna erga filios dilectissimos cura? Hæc erga amicissimos benigna solertia? An potius ista conuincunt, Deum meliorum obliuisci, & sanctorum res, nec defendere, nec curare, quos sùsque deque iactari sustinet arbitratu malorum? Ex aduerso verò maiori cura impiorum sollicitari, quorum omnia læta, omnia secuta, omnia pacata sunt, & nihil noxium illis succedit? Quæstio ista fortassis non leuis est, quæ ingenium Davidis exercuit, & penè in hæitationes inextricabiles deturbauit. Mei autem, ait, penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelani super iniquos pacem peccatorum vi-

dens. Et proculdubio hæsitatio hæc in corde Davidis vires allumpfit, ex eo quòd sanctorum externam pacem non videbat, nec tranquillitatem aspiciebat. Vnde addit: Et dixi, ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Jeremias quoque ista res pulsauit animum, sic scribens: Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verum tamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuariantur, & iniquè agunt. Plantaisti eos, & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum. Ipsi, qui dubitauerunt, respondeant pro Deo, & qualitatem diuinæ prouidentie erga impios, & iustos, docti à diuino spiritu patefaciant, Ille primus quid subiicit? Quid de impiis, & iustis prædicat? De illis quidem: Verum tamen propter dolos posuisti eis, deieicisti eos, dum alleuarentur. Quomodò facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. De istis verò ait: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? O sapiens & plusquam humana responsio, imò diuinæ prouidentie defensio? Impij prosperantur, vt cadant: vt propter dolos & iniquitates suas prosperitatis finem accipiant, vt dum se super verticem aliorum extollunt, miserabiliùs & luctuosius deiectionem damnationis æternæ sustineant? Illi, inquam, prosperantur, vt miseram aduersitatem, post acceptam prosperitatem, magis sentiant, & suam ingratitude clariùs agnoscant, qui rebus prosperis deliniti, se duriores reddiderunt, & in eum, qui bona abundanter præbebat, & mala ipsorum parièter dissimulabat, inuerecundiùs rebelarunt. Iusti verò flagellantur, vt in flagellis etiam, dum in bonis operibus perseuerant, se Dei seruos fideles, & propter amorem, & non propter mercedem obsequentes exhibeant. Iusti etiam flagellantur, vt aduersitate tentati de virtute in virtutem procedant, ad ampliorem gloriam ascendant, & desiderijs rerum terrenarum reiectis, solum Deum, siue in cælo siue in terra ficiant. Bene profectò David prouidentie diuinæ partes egit, quomodò Jeremias eandem tueatur agnosce. Prope, inquit, es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Et tu Domine nosti me, vidisti me, probasti cor meum tecum, congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis. Cùm tu Domine, inquit, prope sis soli ori eorù, dum te propter bona temporalia collaudat, quia peccator confitebitur tibi, cùm benefeceris ei, & longè sis à renibus, hoc est, à mente & affectibus eorum, non est cur fictam illorum prosperitatem admiremur, si verum bonum (qui tu solus es) nec quarant, nec habeant. Nosti tu, o Deus meus iustos, & sanctos tuos, quamuis tribulationibus affectos; cùm tamen peccatoribus dicas: Nescio vos, discedite à me operarij iniquitatis. Respicias eos misericordia oculis, vt ipsi in afflictione positus tempore opportuno subuenias. Probas corda & opera eorum, vt eos fideles voces, & nomen filiorum, sanè nobile, & Christo similitum attribuas.

Hæc est autem vera felicitas, atque prosperitas, sicut illa impiorum, quamuis bona mundi possideant, vera infelicitas atque calamitas. Sapiens ergo prouidentia Dei aliquando iniquis prospera tribuit, vt ampliùs puniat; & iustis aduersa, vt ad perfectiorem virtutem, & cumulationem gloriam extollat. An non prouidentie patris est in dilectissimis filiis errata reprehendere, & si quid peccauerint, castigare? Castigat igitur nonnūquam Deus imperfectiones perfectorum, dum eos virga tribulationis

percutit,

2. Tim. 2.

Ps. 120.

Luc. 15.

Ps. 145.

Psal. 90.

Heb. 11.

Psal. 72.

Ibidem.

Iere. 12.

Psal. 72.

Ibidem.

Iere. 12.

Psal. 84.

Mat. 7.

Amos 3.

percutit, & baculo malorum affligit. Vnde ait per Amos: Tantummodo vos cognoui, id est, specialiter elegi & omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. An non prudentiæ gubernatoris est, imminetibus malis occurrere, & calamitates insurgentes præuenire? Sed Deus solertissimus gubernator interdum iustos tribulans, casus eorum præuenit, & ante ægrotationem prudens medicus medicamentum apponit. Quare per eundem Prophetam ait: Ecce mandabo ego, & concitiam in omnibus gentibus domum Israël, sicut concititur in eribro. Et quæ erit, Domine, tantæ commotionis, ac tribulationis utilitas? Et non cadet, inquit, capillus super terram. Ea scilicet, quod adeptam virtutem populus mihi selectus non perdet, & nequaquam in mihi displicentiæ defleat. An non prudentiæ creatoris est, aduersis casibus aliquos interdum opprimere, ut cum præter omnem spem malis deploratis mederetur, suæ potentia, & bonitatis, & sapientiæ notionem ingerat, & non tantum ex eo, quod non permittit mala (quod minus est) sed ex eo quod ex malis bona decerpit (& quidē hoc, quia infinite bonitatis insigne, est multo gloriosius laudis & gloriæ sacrificium accipiat) sed id est sapientissime, quod colligere ex tribulationibus & aduersitatibus iustorum intendit. Quamobrem æterna veritas de magna miseria cæcæ nati interrogata respondit: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed pro gloria Dei, & ut manifestentur opera Dei in illo. Et Gregorius, postquæ dixit, quod alia est percussio, qua peccator percutitur, ut sine retractatione puniatur, & alia, qua peccator percutitur, ut corrigatur; & alia, qua nonnumquam quisque percutitur, non ut præterita corrigat, sed ne ventura committat, hæc subiicit: Alia quoque tribulatio est, qua quis plerumque percutitur, per quæ nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur: sed ut dum inopinata salus percussione sequitur, saluantis virtus cognita ardentius ametur; cumque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cumuletur. Est itaque benigna, & in suos valde sollicita prouidentia Dei, dum perfectos viros tribulationibus tentat; quia id agit, non ut eos flagellis contristet (quos tenerimus amore diligit) sed ut ingesta tristitia veluti aptissimo instrumento pareat illis æternæ lætitiæ coronæ. Est enim hic amor Dei erga perfectos viros (ut etiã assequutus est Seneca) amor patrius, qui non solum tenerius, verum etiam fortius amat & eos tamquam filios iam donis & beneficiis afficit, ut in verum patrem fiduciam habeant, iã doloribus & damnis exagitat, ut verum colligat robur. Tentat & probat illos tamquam generosos spiritus, quia numquam perfectæ virtutis molle documentum est. Verberat dilectos suos, ut in loco laboris aliquid patiatur, nec illud ad læuitiam Dei pertinet (qui misericors, & non læuis est) sed ad ipsorum certamen, in quo si strenuè se gesserint, & fortiores prædicabuntur, & illustriores erunt. Solidissima pars est corporis, quam usus agitavit; sic solidissima & selectissima pars Ecclesiæ, labori & angustia præbenda est, ut ab ipsa perfectè duretur. Et sancti in periclitandi assiduitate, acquirunt contemptum periculorum. Nonne sunt nauis corpora ferendo mari dura? Nonne agricolis manus trita? Nonne ad excutienda tela militares lacerti valent? An non agilia sunt membra cursoribus? & id in quoque solidissimum est, quod exercuit? Durentur ergo perfecti laboribus, qui nauiculam suam mercibus, id est, meritis pretiosis, onustam in salutis portu debent dirigere. Terantur duris operibus eorum manus, ut terram cordis sui nõ delicatè sed fortiter moueant, & ex ea fructum centuplicatum accipiant, va-

Ican. 9.

Gregor. 2. mor. c. 11.

Senec. lib. quare bonis viris mala accidant, cum sit prouidentia.

A leant eorum lacerti ipsa assiduitate præliandi, ut non sine hostium vulneribus sagittas in illos salutis intorqueant. Agiles ad currendum, & veloces reddantur, nõ quia prosperitatibus ligantur in terra, sed quia tentationibus & pressuris à terra excutiantur, ut non tam currant quàm volent in cælum. Isti sunt fines prouidentia Dei; quando iustos, ac perfectos sinit laboribus, & miseris affligi. Quos præuidens Moses magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Idem omnino eligit quisque, & dicat: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impingat caput meum. Iustus quidem Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Tu Domine, qui iustus es, in misericordia tua corripe me, ita labores, & tentationes temperans, ne vires meas excedentes, me à tuo amore abstrahant, increpa me doloribus, ita tamen, ut mentem meam nequaquam à spe firma deiciant. Oleum verò peccatoris, id est, mundi adulantis prosperitas, non me suis blanditiis delectet, atque demulceat. Quoniam illorum recordaris & suauissima prouidentia regis, quos benignè castigas, & probas: illorum verò obliuisceris, & quodammodo à tua cura repellis, quos implere vana & inutilia desideria permittis.

Hebr. 11.

Psal. 140.

Psal. 10.

Quomodo Deus perfectos illuminat.

CAPVT XXV.

C IVINAM prouidentiam erga viros perfectos & sanctos cum sole cõtulimus, cuius omne opus tribus instrumentis, luce, & calore atque occulto influxu perficitur, quo & inferiora corpora fouet, & aduersa, ac noxia pellit. Eadē sunt veluti instrumenta prouidentia Dei, quibus Sanctos ad destinatam perfectionem dicit. Nam supernaturali luce eorum mentes illuminat, & corda eorum igne sancti amoris inflammat, & absconditis quibusdam auxiliis eos ad bonum roborat, & ad omni aduersitate defendit. Quæ omnia proposito ordine enucleanda sunt, tum ut qualitatem diuinæ prouidentia erga perfectos, tum ut alia ipsorum dona insignia videamus. Principio Dominus, qui lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, perfectos immensa quadam vi lucis illuminat. Quod nemo (ut puto) ambiget, qui ipsam sanctitatem ac perfectionem immensam esse lucem agnouerit. Si enim lux non esset, David propheta non diceret: Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem. Et quidem si peccatum, tenebra est, sanctitas peccatum destruens, & à cordibus sanctorum expellens, perfectio lux est. Quod & Paulus manifestè testatur, dum ait: Abiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Quæ namque sunt opera tenebrarum, nisi peccata quæ à principe tenebrarum nos instigante originem trahunt, quæ animam in tenebras numquam desituras coniciunt secundum illud: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, quæ eandē scdam, obscuram ac tenebrosam reddunt. Et quæ sunt arma lucis, nisi quæ alibi ab eodem Apostolo vocantur arma iustitiæ? hæc scilicet virtutes, quæ ad statum perfectionis prouecta, vndique nos protegit, & ita protegunt, ut si velimus, facili negotio nullum ab hostibus nostris subeamus vulnus, nullum sustineamus salutis detrimentum. De his perfectionis operibus, siue de his armis lucis, inquit Chrysostr. mus: incensibili quidem armatura durum est & exosum armari, hic verò iucundum, & dignum, quod expectatur etiam. Lucis quippe sunt arma, vnde radiis

1. Ioan. 1.

Psal. 36.

Rom. 13.

Matt. 22.

2. Cor. 7.

Chrysostr. hom. 24. ad Roma.

solaribus

solariibus illustriorem te faciunt, multum emittentia fulgorem, atque in tuto etiam optime munitum constituunt, arma, siquidem sunt, deinde & splendidum faciunt, sunt enim arma lucis.] Arma, quæ iustos, fulgidos & splendidos faciunt, necessariò sunt ex luce compacta, quia nihil, quod lux non sit, aut lucem nõ habeat, potest rem obscuram, & terram à caligine eripere, & ad claritatem reuocare. Dominus etiam ipse Iobi sapientium examinans, sanctitatis opera lucem aperte nominauit, dum in hæc verba illũ interrogat. Nosti per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram.] Hæc enim lux, quæ super terram humani cordis spargitur & hic æstus, qui super eandem terram diuiditur, non sunt aliud, quàm perfectio virtutum, quæ sicut vera lux hominem de agendis, & omittendis illuminat, & sicut verus æstus, & accidia frigus omninò consumit, & mentem ardore charitatis inflamat. Ista lux, atque iste æstus nescit humana ignorantia, per quam viam, aut spargitur in nos, aut qua mensura diuidatur, secundum illud, quod in Ioanne legimus: Spiritus ubi vult spirat, & nescis, vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu.] Profectò in hac luce, quam Dominus hoc loco commemorat, sanctus pater Gregorius sanctitatem intellexit. Qui ita ait: Dic, quo ordine iustitiam meã occultis sinibus cordium infundo, cum & per accessum non videor, & tamen visibilia opera hominum inuisibiliter immuro: Cùm vnã eadẽque mentem modò hæc modò illa virtute irradio: & tamen per sparsam lucem adhuc, ex parte aliqua eam in tentationis tenebras remanere permitto? Requiritur homo nesciens, per quam viam spargitur lux. Ac si aperte dicatur, dum dura corda emollio, dum rigida inflecto, dum aspera mirigo, dum frigida accendo, dum debilia roboro, dum vaga stabilo, dum mutania confirmo, intueri, si vales, incorporaliter veniens, quibus ea mentibus illustro. Hæc quippe omnia nos facta cernimus, nam qualiter intrinsecus efficiantur, ignoramus.] Si virtutis perfectio lux est, facile erit cuique huic veritati assentiri, quòd sanctorum mentes radiis sui splendoris infundat. Lux enim licet distantia quæque clarificet, at propinquiora sibi multò meliùs & perfectiùs illuminat. Quare & perfectio, quæ alios eam in sanctis considerantes mirificè decore sui splendoris oblectat, magis ipsos sanctos, in quibus est, & à quibus possidetur, veluti propinquiores illustrat.

Sed qua ratione, quo ordine Deus viros luce perfectionis illuminat? Numquid ipsi corporeis oculis maiorem, quàm alij homines, lucem aspiciunt? si hoc ita dicimus, in nos ipsa experientia reclamationat. Adversantur etiam nobis sacrarum Scripturarum pagina, quæ Tobiam, & cæcum, & corporeis luminibus orbem & sanctum, ac perfectum introducunt. Cõuincet nos mendacij Didymus, qui cæcus non solum eximia Scripturarum sciẽtia, sed eximia quoque sanctitate floruit, cui semel pro sua cæcitate aliquantum deploranti, dixit B. Antonius: Ne tristeris, quòd oculis corporalibus careas, quos muscæ & culices habent, cum tibi oculi Angelorum suppetant.] Refragabitur demũ assertioni nostræ ipsa vita multorum, quibus nec cæcitas nec aliud corporis malum impedimento fuit, quominus ad magnam sanctitatem ascenderint. Non itaque huius corporeæ lucis recordamur, cum dicimus sanctos à Deo illuminari, & radiis lucis internæ perfundi. Hæc enim lux corporeæ & exterior est, cuius Dominus non homines rãtũ, verum etiam bestias rationis expertes facit participes. Sed lucem internã intelligimus, quæ interiùs cõsens veram scientiam docet, & illos, quibus seipsã

A munit, in numero sapientium ponit. Corporea lux iniquis quoque conceditur, quam, quia corruptibiles creaturas illuminat, vocare possumus lucem morietium; at spiritalis lux, qua Dominus dilectos suos docet, mentes nullo modo corruptioni subiectas, & semper duraturas illustrat, quam sine vilo timore vocamus lucem viuientium. Gregorius quidẽ ita spiritali lucem à corporali distinguit, dum ait: Lux morietium est, quam corporeis oculis cernimus. Qui autem adhuc huic mundo viuunt, luce morientium tenebescunt. Illuminantur autem luce viuentiũ, qui despecto temporali splendore ad splendorem internæ claritatis recurrunt, vt ibi viuant; vbi verum lumen sentiendo videant; vbi non aliud lumen, atque aliud vita, sed vbi ipsa lux vita sit, vbi sic nos lux exterioriũ circũscribat, vt interiùs impleat: sic interiùs impleat, vt incircũscripta exterioriũ circũscribat. Illuminatur ergo hac luce viuentium, quam tantò tunc subtiliùs conspiciunt, quantò nũc ad illam puriùs viuũt.] Mittamus igitur nunc corpoream lucem, quam beluis, & iumentis, & hominibus bonis, & malis comunem aspiciamus, & illam interiorem, quæ simul, & lux, & vita est, quia à vita spiritali in perfectis manat, & ad vitam eandem prouehendam tendit, diligẽter inquiramus. Quanta nimirum sit, & qualiter perfectos illuminet, & secundum scientiam humanam aliquando insipientes sapientiam compleat, & verissimè sapientes efficiat. Quæramus, inquam, quanta sit ista lux, nam si lux corporea pulchra est, atque formosa, spiritalis illam mirabili ratione pulchritudine, & decore vincit: & non minus quàm lux solis corporales oculos, ipsa dum magna est, oculos spirituales oblectat.

Dominus itaq; perfectos homines tum luce fidei, tum luce sapientie collustrat, vt agenda & vitanda peruideant: illa, vt actione impleant; hæc, vt à sua operatione dimoueant. Quæ lux, quia clarissima est, & communium fidelium lucem, ac cognitionem superat, non solum substantiam operum iustorum, & veritorum exponit, sed & minima quæ operibus adiacent, quibus optime opera bona præstantur, & mala omninò vitantur, patenter ostendit. Quare perfecti, qui sunt spirituales Nazaræi, diuino numini consecrati, non tantum vinum iniquitatis non bibunt, verum etiam vnas recetes, & passas, & quicquid ad vinum longè pertinet, & aliquem odorem malitiae, aut imperfectionis habet, suo ori non admouent. Sunt etiam velut solertissimi famuli nõ domi solum, sed conclauis Regis æterni secretissimo deputati, in quo necesse est, non vtrumque famulari, sed diligentissimè, & sine vilo defectu, aut oscitantia seruire. Ex hac illustrissima luce illa cura in bonis operibus agendis, & illa circumspectio in occasionibus imperfectionum vitandis exoritur, quam non sine admiratione in perfectis sæpè notauimus, nec sine compunctione conspeximus. Videas illos dum orant, dum psallunt, dum legunt, dũ populo Dei verbum proponunt, dum cum aliis de aliquo negotio loquuntur, & breuiter dũ aliud quid faciunt, tanta id puritate, tanta diligentia facere, vt optima optimo modo præstent, & nihil quod ad operis pulchritudinem est necessarium, prætermittant. Et sicut ille Beseleel spiritu Dei repletus, & sapientia, & intelligentia & scientia decoratus, quicquid ad vsum tabernaculi, & ministeriũ diuini cultus erat necessariũ, sapientissimè excogitauit, & quidquid mente concepit, pulcherrimè in opus produxit, & perfectissimè fabricauit: ita hi edocti luce cœlesti, quod Deo placitum, & honorificum est, prudẽtissimè excogitant, & vita, atq; operatione cõficiunt. Videas etiam illos in occasionibus labendi

Greg. lib.
23. mor. c.
9.

Iob. 38.

Ioan. 3.

Greg. 29.
mor. c. 13.

Tobia 2.

Exod. 31.

cautos,

cautos, in dictis suis, & factis, & cogitationibus circumspectos, ne in aliquod peccatum, aut in aliquā imperfectionem incurrant, quā purissimos oculos diuinæ maiestatis offendat. Nam sicut homo munditiā amantissimus, qui atramentum, & picem, & alia similia tractare compellitur, ea instrumento, & mensura distribuit, & suis digitis atrectare formidat, ne seipsum denigret, & munditiā manuum suarum inficiat: eodem modo perfecti, qui pro statu conditionis humanæ nonnumquā, in scientia tractant, id est, inter occasiones labendi aut verbo, aut opere se nolentes inueniunt, in illis tanta prudētia & circumspēctiōne se gerunt, ut nullam maculam contrahant, imō ex illis puriores, & sanctiores exeant. O quā perfectē & complet illud Apostoli documentum: *Ut filij lucis ambulate* (fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate) probantes, quid sit beneplacitum Deo, & nolite cōmunicare operibus infuctuosis tenebrarū, magis autem redarguite.] Ita enim viuunt, ita conuersantur, ut se filios lucis, & amatores sanctitatis exhibeant: Ita Dei voluntatem in omnibus querunt, & quid ei sit gratius examinant, ut frequentius in omnibus, aliis, & perfectius inueniāt. Ita se ab operibus tenebrarū, id est, à delictis, & peccatis subtrahunt, ut nec initium Diabolice suggestiōnis volentes patiantur, & quicquid malum est, sua conuersatione redarguant, ac reprehendant. Istam autem vitæ puritatem, à luce sanctorū cordibus immissa, procedere magnus contemplator Richardus perspicue docet, illud Danielis interpretans, ubi de Domino ait: Ipse reuelat profunda, & abscondita, & nouit in tenebris constituta; & lux cum eo est.] Sed quid, inquit, sibi uoluit, quid dicit: *Et lux cum eo est?* Absque dubio Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vlla. Cur ergo non dicit, quod veraciter dicere potuit, quia Deus lux est, sed ait: & cum eo lux est? An forte hoc docere nos uoluit, quia ubi ipse per inhabitantem gratiam manserit, necessaria cognitionis lumen desesse non possit? Nam lumen quidem, quod ipse est, prout ipsum est, in hac vitæ interim videre non possumus, sed lumen quod cum ipso est, non solum ad solatium, sed etiam ad suffragium accipere cōsueuimus. Quale autem hoc lumen esse dicimus, per quod quid agere, quod vitare, quid diligere, quid odio habere, quid credere vel sperare debemus, agnoscimus? Qualis quæso est, lux ista, quæ nouit profunda & abscondita, ipso vitæ reuelante, ipso denique inspirante, qui dat sapientibus sapientiam, & scientiam, intelligentibus disciplinam? Accipiunt itaque sancti lucem inspirationis diuinæ, quæ eos doceat, & agendis ac omittendis erudiat. Quam regius vates cognoscebat, cum Dominum alloquens decantabat: *Lucerna pedibus meis verbum tuū, & lumē semitis meis.*] Istud quidem verbum cordibus nostris immisum iniquis sapē non lucet, non quia ipsum lucerna non sit, sed quia omnis iniquus cæcus sit. At vitis perfectis lux est, quæ & pedes affectuum dirigit, ne in lapidem offensionis impingant, & semitas sanctorum actionū monstret, ne in loca inuia periculosaque diuertant. Nec solos pedes sanctorū lux ista, & semitas illorum illustrat, sed & eorum facies miro splendore perfundit. Quemadmodum enim Moses, cum è monte descendit, faciem cornutam, id est, radiis immēsi luminis decoratam gestauit, quam filij Israel non audebant aspiciere: Ideoque velamine iniecto faciei lumen abscondebat, & ut alij accederent ad negotia tractanda seipsum illis attemperabat: Ita perfecti lumen sanctitatis in manibus, hoc est, in operibus præferunt, & lumē magnæ puritatis in facie, id est, in mente, habent, quod dum non semper ab omnibus perfecta

A exigunt, & pro bono pusillorum eis minora, & imperfectiora facienda proponunt, quasi iniecto faciei velamine abscondunt.

Non solum verò lux perfectis ad sanctē viuēdum datur, sed etiam ad sapientissimē intelligendum conceditur. Eorum enim fides donis sapientiæ & intellectus adiuta, mirum est, quā aliter, atque filij cōmunes homines, humana & diuina præuideat, & mysteria cœlestia cognoscat. Humana quippe iam non secundum externam faciem, quæ pulchra & decora apparet, sed introversus quoque aspicit, & quia ad eorum breuitatem, & exilitatem, & instabilitatem penetrat, ex corde contemnit. Diuina non quasi emittens posita, sed quasi proxima, & citò ventura cognoscit, quare illa ardentè concupiscit. Mysteria etiam cœlestia perfecti, fide quidem, dum hæc vita durat, sed (si ita loqui liceret) fide clara perlustrant. Non quia ipsorum fides clara sit, cui claritas omnino repugnat, nam (ut ait Paulus) est argumentum non apparentium:] sed quia fidei substantia seruata, ac obsecutatis, & ineuidentiæ ratione retenta, tanta sapientiæ luce roboratur, & efficacitate vestitur, ut res diuinas penè non videatur obscure proponere, sed quasi clarè & apertè enūciare. Non est facile in expertis intelligere, quomodo fides obscura, & quasi in nubilo posita hanc secum claritatem admittat, sed contemplationis gratia donati, faciliè quod sentiūt, quod experiuntur, quod veluti manibus contrectant, intelligunt. Qui dum ad diuina contemplanda rapiuntur, aliud genus cogitationis accipiunt, quod fidem quidem non destruit, sed complet, & ad sibi debitā perfectionem ducit. Sicut enim Dominus legis gratiæ promulgatione, veterem legem non soluit, sed adimpleuit; quia quod perfectionis legi defecerat, gratia suppeditauit, ita contemplationis dono fidem non soluit, sed perficit, quia omnem claritatem ei, quam sola Dei dicentis auctoritas, & non ratio demonstrat secum compatitur, tribuit. Hac ergo eximia luce perfecti illuminati; scrutantur etiam profunda Dei, & postquam humiliter & nō curiosè scrutati sunt, simplici oculo contemplationis quasi intuentur. In hoc autem suauissimo, ac fulgentissimo intuitu mirum est, quomodo admirantur, quomodo in conspectu diuinæ maiestatis stupeant, quomodo feruescant, quomodo liquefiant, quomodo ignescant, quomodo penè deficiant, & quomodo absorbeatur in illis quod mortale est, ab illa vita (& hæc est Christus) quæ illos in perfectam sui imaginem, & figuram transformat. Iam ut magis videant, & perfectius sapiant, à luce in tenebras cadūt, & à sapientia in ignorantiam descendunt. O tenebræ lucidissima! ô ignorantia sapientissima, cum intellectus deficit, ut voluntas proficiat, cum cognitio fugit, ut amor totum sibi vendicat, & omnem vim mentis sibi præripit, cum transcurtis imaginibus rerum visibilibus, & inuisibilibus mens à Deo summo bono sine imagine tangitur, possidetur, obruitur, ut omnem cæcitatem, omnem duritiem, omnes defectus perdat, & saltem ad horā quasi deiformis facta, omne lumen, omnem suauitatem, & omnem donorum copiam acquirat. Non dubites, quicumque hæc legis, perfectos viros, ad hanc clarissimam lucem non semel prouehi; quæ sine argumentis, sine disputationibus, sine libris, non ad aridam, & loquacem scientiam, sed ad dulcem, & silentij amicam sapientiam efferuntur. Et licet rudes sint, & imperiti quoad humanas disciplinas, erede illos esse verè sapientes, quibus hæc lux cœlestis effulserit. Egregiè enim dixit Ambrosius: Illuminat Dominus sanctos suos, & lucet in corde iustorum. Itaque cum sapientem videris, cognosce, quia descendit

super

Ephes. 5.

Dan. 2.

Richard. li. de eruditione interioris hominis. 14.

Psal. 118.

Exod. 34.

Hebr. 11.

Ambr. in Psal. 118. serm. 17. vers. 7.

super eum Dei gloria. Illuminavit eius mentem scientiæ fulgore cognitionis diuinæ.] Hæc Dei gloria, iste diuinus fulgor perfectorum animas sapientia imbuunt, quæ & sibi, & aliis sapiunt, & non oscitando, & stertendo, sed festinando, & volando viam altissimæ virtutis arripiunt. Tu scis Domine, quia aliquos istorum homines idiotas, & ignaros vidi, & te donante non sine admiratione auscultavi, quorum ignorantiam, & ruditatem ex toto corde meis literis, & studiis prætulit. Quia quas ego diuitias verbis & scriptis euoluo, illi possident, & quod ego de vera sapientia, & perfectione cogito, & nunquam attingo, ipsi voluntatis repositorio sibi recondunt, & manibus sanctissimæ vitæ perficiunt.

Lux ista perfectis data, non tantum cælestia mysteria detegit, sed diuinas dispositiones futuras reuelat, & quæ longa post tempora euentura sunt, aliquando prædicat. Nam si lex amicitiae est, vt inter amicos sint corda parentia, Dominus, qui viros perfectos ad intimam familiaritatem admittit; ab hac se lege non eximit, & in his, quæ decent, sui cordis secreta, ab illis minimè abscondit. Num, inquit, celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicenda sunt in illo omnes nationes terræ?] Ac si diceret nõ deo tam fidelem amicum celare, quod facturus sum, vt iniquitates Sodomorum & Gomorrhorum puniam, & eorum vrbes subuertam. Hanc legem Dominus non solum cum isto patre credentium, sed cum aliis quoque perfectis sæpè seruat, dum eis multa arcana vel ad ipsos pertinentia vel ad aliorum, aut Ecclesiæ salutem spectantia detexit. Hunc sui obitus diem & horam edocet, illi suum perfectionis statum, ac prædestinationem reuelat: istum de iis, quæ agere, aut dicere, aut omittere debeat, certiore facit: alius quid ad salutem proximorum vile sit, aut quid exitium allaturum, ac tandem, quid prosperitatis, aut calamitatis sit Ecclesiæ venturum, prædicat. Quæ omnia facillimum esset, sed prolixum admodum, exemplis antiquis, atque recentibus confirmare. Ideoque Eliseus à Sunamite quaesitus & inuentus, vt filij suscitationem obtineret, dixit ad puerum suum eam à sancti viri pedibus amouentem: dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.] Ac si dixisset, non solet Dominus huiuscemodi euentus à me celare, & quæ est, in mihi commendatis facturus abscondere. Quare sicut Ionathas Davidis querelas audiens, quibus Saulis ingratitude, & odiū accusabat, dixit ei: Absit, non morieris, neque enim faciet pater meus quicquam grande, vel paruum, nisi prius indicauerit mihi: hunc ergo celauit à me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud.] Ita perfecti, filiorum Dei induentes affectum, aliquando sine vlla superbiæ nota protestantur, Deū, quem Patrem agnoscunt, nihil in aliquo negotio esse facturum, nisi prius illos in ea re necessaria doceat, & de iis, quæ oportet, erudiat. Facile enim & consuetum est illi seruos suos nutantes, & velut in ancipiti positos, eiusque voluntatem auidè quaeritantes, aut per Scripturam, aut doctrinam, aut per internam inspirationem de dubiis instruere. Dicant ergo perfecti, quod locutus est Abias ad acies Iero-boam: Est apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendatur semper ad vesperam: nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri.] Hæc profectò causa est, ob quam apud se candelabrum habent aureum, eiusque lucernas, quia Domini mandata custodiunt. Custodia enim mandatorum mentem nostram edocet, & à cæcitate vindictam radiis

A splendoris illustrat. Nam si declaratio sermonū illuminat, & intellectum dat paruulis,] quanto magis mandatorum executio illuminabit, & paruulos, id est, humiles, luce perfundet? candelabrum verò, quod habent hi mandata Domini custodientes, lux est supernaturalis, quæ in Dei tabernaculo, id est, in anima sibi perfectè dicata collucet. Istud candelabrum non vna tantum, sed multis lucernis constat, quia multa Dei arcana reuelat, & multarum virtutum pulchritudinem monstrat. Quas lucernas tunc non solum in mète, sed in manibus tenemus, cum iuxta id, quod cognoscimus, virtutum opera actione cõplemus. Istæ sunt lucernæ ardentes, inquit Ambrosius; quæ die ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra tua membra sunt Christi, lucent virtutes tuæ, quas nullus extinguit, nisi earum crimen extinxerit. Si vis ergo istud candelabrum apud te habere, si cupis eius lucernas possidere, si desideras hoc lumine inextinguibili illuminari, illud non tam à libris, ab argumentis, à disputationibus petas, quàm in perfectæ vitæ, & sanctæ conuersatione conquiras. Huic namque tamquam cælo purissimo, in quo Dominus commoratur, lux perpetua promissa est, quæ hinc mentes sanctorum instruit, illuminat, extra se rapit, & post hanc vitam in lucem ineffabilem commutat, Dei faciem, quæ nostra beatitudo est, animæ luminibus obicit.

Psal. 112.

Ambrosius in
Psal. 118.
ser. 14.

Qualiter Deus perfectos inflamat.

CAPVT XXVI.

Vidimus quo pacto diuinæ prouidentiae sol, radiis suæ lucis perfectos illuminet, nunc videamus qualiter eosdem ardore perfectæ charitatis inflamat. Quod accepta similitudo à corporeo igne, cum aliquod combustibile adurit, nobis satis exponet. Consideremus enim ignem inter ligna viridia & humida positum, qui in ea suum ardorem generare nitatur. Certè in illis lignis, quoniam minus sunt apta atque disposita, non pulcherrimam flammam, sed arum fumum, sed lignorum quasi gementium stridorem, sed aqueum humorem exsuscitat. At cum iam sunt arida, & sicca, & velut calore victa, & ignis potestati subiecta, tunc fumus cessat, strepitus silet, gelidus humor fugit, & intimus ardor, pulcher splendor, & flamma efficacissima suscitatur. Mittamus nunc iniquos homines, quos nomine glaciæ, & gelu, Gregorius signatos intelligit, cum Dominus ad Iob ait: De cuius vtero egressa est glaciæ, & gelu de cælo quis genuit? Hi enim ab vtero Dei, hoc est, ab eius creatrice potentia egressi sunt, non impij, sed boni: illi verò seipos impios fecerunt, & in similitudinem aquæ cogelatae durarunt.] Mittamus, inquam, illos, & solos viros iustos sermone tractemus. Hi profectò in lignis impuribilibus & frugiferis signati sunt, quæ sancta Ecclesia tamquam bona, & fecunda terra produxit. Et vt modo de illis, non quatenus horum Ecclesiæ ornant, sed quatenus applicatur igni, eloquamur, ipsa sunt ligna iuxta Ambrosium, quæ Elias super altare composuit, & secundum figuram vnda salutaris respergit, vt ea ignis de cælo delapsus exureret. Ipsa sunt ligna, quibus sacerdos Christus igne Charitatis enutrit, & holocausta perfectarum mærium in honorem summi Dei adolebit, atque consumet. Horum lignorum quedam humida, & minus ad ardorem suscipiendum disposita; quedam arida, & ad ignem apta reperies. Ligna humida;

Iob. 38.
Greg. 29.
mor. c. 15.3. Reg. 16.
Ambrosius.
li. de Hebraicis.
c. 22.
Leuit. 6.

atq; viridia iusti imperfecti sunt, quos imperfectionū humor aqueus, & ignavia frigus à debito calore repellit. Ligna verò arida, & sicca sūt iusti perfecti, quorū qualitas eos igni charitatis admitendo aptissimos efficit. Nec mirū, quod Saluator noster seipsum ligno viridi, & peccatores lignis aridis, comparaverit, dicens, Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Iusti enim sunt ligna viridia, si pulchritudinem illorum videas, si odorem bonum advertas, si studiosorum operum fructum consideres. Iniusti autem sunt ligna arida, si ipsorum deformitatem, si sanctorum operum, velut filiorum orbitatē, si foliorum & florum, id est, bonarum cogitationum, & piorum desideriorum nuditatem aspicias. At contraria ratione illi ligna arida, & isti ligna humida sunt, quia perfecti igni charitatis admori, sine vllō labore, aut difficultate ardent; imperfecti verò caligine suarum imperfectionum fumiunt, & incondito sono sine crepitu defectuum strident.

Sunt itaque viri perfecti, sicut ligna arida, & sicca: arida, quia mortificationis donō concupiscentiæ humore liberantur, & sicca quoniam assidua exercitatione virtutum ad recipiendum charitatis ardorem apta ac disposita reddantur. In intimo istorum lignorum Deus noster inhabitat, qui consumenti igni seipsum assimilat. Ideoque Moyses ait: Dominus Deus tuus ignis consumens est. O pulcher ignis! o vitalis ignis! o efficac ignis, qui in puris mentib. fœda collustrat, frigida fouet, & quicquid impurum est efficacisimè destruit. De quo sapienter dixit Bernardus: Ignis, qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit: ardet suaviter, desolatur feliciter. Est enim verè carbo desolatorius, sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima vicem exhibeat vntionis. Ad hoc autem significandum, apparet Dominus ipse Moysi in flamma ignis, de medio rubi, quæ rubum quidem nō comburebat, sed tantum inflamabat. Nā ipse talis est ignis, vt cuiusvis iniquitates, & imperfectiones nostras exurat, nos verò integros inuolatorisq; relinquat. Quā ob causam vocatur ignis consumens, non quod sanctos absumat, sed quod eorum defectus destruat: non quia opereat ad consumptionem bonorum, sed quia indignationem suam ostendat in punitione iniquorum. Non solum consumere ignis iste, inquit Ambrosius, nisi sola peccata. In retributionibus quoque meritum colligimus diuini ignis naturam, vt alios illuminet, alios exurat: illuminet iustos, exurat impios. Non eosdem, quos illuminat, exurit, & quos exurit, illuminat: sed illuminatio eius inextinguibilis est, ad perfectionem bonorum, exustio vehemens ad sup̄flicia peccatorum. In igne Dominus apparet in monte Sinai, vt legem ferat, & specie terribili, & comminationibus, atque portentis duræ ceruicis populum ad excipiendam, & custodiendam legem inclinet. In lampade ignis trāsit inter cadauerum diuisiones, quas eo iubente, Abraham ad sacrificium offerendum disposuit, vt ipso Domini transitu pactum dandæ terræ promissæ firmaret. Et oculi eius sunt sicut flamma ignis, quæ bonos ipsos aspectu in se conuertat, malos exerceat: istos indignatione puniat, illos sua efficacitate confirmet. Quare Dominus toties se in specie corporalis ignis ostendit, nisi vt sciamus eum esse spirituales ignem, qui nostras animas illuminet, foueat, & mander, in se conuertat, & secundum mores, & opera in melius ac præstantius esse, transfundat? Si ergo sancti & perfecti homines sunt ligna sicca, & arida, id est, ad suscipiendum ardorem charitatis valde disposita, & Deus est ignis immensus, & inuisus, ac nullis impedimentis obnoxius, quid putas faciet hic ignis talibus lignis admotus, vel

(vt verius dicam) visceribus eorum inclusus? Quomodo perfectos illuminabit, quomodo calefaciet, quomodo accendet, quomodo inflammabit, quomodo exuret, quomodo eis suas perfectiones communicabit, quomodo in se conuertet, & transformabit, quomodo tandem ipsis integris, pulchris, & liquefactis permanentibus (sicut aurum in fornace) omnes eorum sordes, sordiamque consumet? Inflammat quidem Deus perfectos suos, qui amore ardent, desiderijs exultant, & maiori impetu quàm dici possit, in omnia bona adimplenda feruntur. Velles tamen intelligere tum naturam, tum qualitatem huius ardoris, quid in perfectis possit, quid interius & exterius efficiat, quid in alios calor, & ardoris deriuat, & quousque suæ potentiæ signa producat? Id quidem facile intelliges, si aut sanctorum vitas pensulatur legas, aut si aliquem vitum perfectum agnoscas, & eius conuersationem, non vt eum iudices, sed vt ab eo discas, ardentè consideres. Interim tamen hi sermões mei tibi vtcumque satisfaciant, & hominum ardentium, & ignitorum, id est, perfectorum ardores suauissimos, & flammās exponant.

Ignis ille increatus, qui Deus est, in his hominibus ad suscipiendum ardorem, seu ignem rectè dispositis, ignem creatum perfectæ charitatis immittit. Si enim noster ignis cum materialia ligna comburit, non tam seipsum lignis attribuit, quàm alium ignem sibi omnino similem ex illis producit; in hoc similitudo maneat, quod Deus non solum seipsum iustis communicat, ex eo quod in ipsis inhabitat, sed etiam alium ignem à se distinctum, nimirum ignem charitatis in illis progignit. De quo David ait: Ignis à facie eius exarsit, carbones succensit sunt ab eo. Nam in præsentia eius, qui ignis non factus est, alius ignis factus charitatis accenditur, quo homines inflammantur, ante aduentum huius ignis atrii, & frigidi, & post aduentū eius, ardentes, atq; formosi. Vnde Augustinus hunc intellectum indicans, ait: Qui iam mortui erant, deserti ab igne boni desiderij, ac luce iustitiæ, & frigidi, tenebrosique remanserant, rursus accesi, & illuminati reuixerunt. Hunc ignem præcipit Dominus, vt semper eorum ipso conferues accensum. Idque significant illa Leuitici verba: Ignis in altari meo semper ardebit. Quos namque hoc Domini altare figurat, nisi perfectos, & sanctos, vt putat Origenes, qui non humilem & abiectam ducunt vitam, sed excellentem, & puram, in quibus per abnegationem assiduam, & sanguis effunditur, & caro crematur atque consumitur. Et quis est iste ignis, qui semper in altari debet ardere, nisi ignis charitatis è cælo, hoc est, ab increato illo igne delapsus, qui ardet vt mascula thura orationis, & optima thymiamata desideriorum adoleat, & quod carnale est, & animale consumat. Ille igitur ignis charitatis, in mentibus perfectorum principio cunctos defectus, & imperfectiones exurit, & si milles pullulent (quod in hac vita commune est) milles in illas defecit, & ardoribus amoris inflammat. Quod per tropum varicinas est Isaias, dum ait: Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum, in pinguibus eius tenuitatem, & subrus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flamma, & succendetur; & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna. Pinguia enim anima sunt magna crimina, in quibus mittit Dominus tenuitatem, cum ea in spiritu contritionis destruit, & Spiritus sancti ardore penitus delet. Quæ verò subrus gloriam latent, sunt leuia peccata, quæ sæpè vanis pretextibus obtendantur, & virtutum aut placiditatis coloribus excusantur,

Luca 23.

Deut. 4.

Bern. ser. 57. in cat.

Exod. 3.

Amb. lib. 4. ex. am. 63.

Exod. 19.

Gen. 15.

Apoca. 2.

A

B

C

D

E

Psal. 17.

Aug. ibi.

Leuit. 6.

Origenes. h. 1. in Leuit.

Isaia. 10.



hæc verò ardebunt etiam, & vi amoris disiciuntur, & dissipabuntur, quasi combustio ignis, Christus autem, qui lumen est Israel, erit in igne, quia per charitatis ignem vniuersa iustorum mala deuorabit. Et sanctus quisque erit in flamma, quoniam inflammatus hoc igne, gratiaque suffultus, spinas defectuum, & veptes imperfectionum succendet, ita vt vel ad diem vnam, id est, ad horam vnam, vel morulam vnam, nihil penitus in eo veteris Adæ remaneat. Bonum istud diei vnus, nimirum morula vnus est, cum anima in contemplatione posita, & amoris igne succensa, cunctos suos hostes adurit, & vniuersos inimicos, hoc est, defectus, interficit. At conuersatio ista mortalis post paululum recentes nauos contrahit, & nouis defectibus subest, quos oportet nouo charitatis baptismo ablui, nouoque seruore deleri. Non solum autem ignis iste defectus adurit, verum etiam, (quod mirabilis est) penè desideriorum, & concupiscentiarum ignem exinguit. Et ignis igne non crescit, sed igne minuitur, igne extenuatur, & igne charitatis penè omnino consumitur. An non tres illi viri ligati, & in fornacem Babylonis coniecti, vinculis eximuntur, & calorem, aut odorem ignis non sentiunt? Prorsus ita. Nã & ipse hostis eorum ait: Ecce ego video quatuor viros solutos (quartus autem erat Angelus Domini) & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptio nis in eis est.] Consiliarij quoque regis, qui in viros sanctos mortis sententiam tulerant, contemplantur illos, quoniam nihil potestatis habuissent ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transiisset per eos.] Quis ergo ignem colligauit, quis ignem tenuit, quis ignem consopiuit, ne pueros illos simplicitate, & viros constantia, & fortitudine in fauillam redigeret? Prorsus alius ignis, ille scilicet Dominus, qui inter ipsos consistens eorum animas fidei lumine collustrabat, & ardore charitatis succendebat. Nonne vides, quod ignis ignem destruxit, & flamma flammam dissipauit, & ardor ardorem refrigerauit, atque consumpsit? Ita ignis diuini amoris intus ardens, ignem concupiscentiæ vincit, ne iustorum corpora motibus impudicis adurat, ne capillos sanctarum cogitationum absumat, ne vestes solidarum virtutum destruat, & ne sui odorem in charitate accensos, sine amore adustos, spargat. Hæc sunt trophea ignis cælestis, hæc victoria charitatis, quas de nostra concupiscentia à se victa reportat. His homo illustrior est, quam si vniuersum orbem suo imperio subigeret, quia seipsum imperio virtutis subdit, & captiuus factus amoris, & perfectionis seruus computatus, concupiscentiæ iugum frangit, & peccati captiuitatem ac seruitutem euertit.

Postquam verò ignis charitatis, omne sibi aduersum in mente perfecta contrarium consumpsit, tunc liberè & efficaciter vim suam in illa tamquam in materiam penitus subiectam exercet. Liquefacit ergo perfectam animam, quam ante perfectionis aduentum duram, & proteruam inuenerat. Si enim sola vox sponsæ emollit: vnde sponsa ait: Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est,] quidni ad vocem, id est, ad internam inspirationem, nõ iam solã, sed caloris, & ignis immisione comitatam ipsa liquecat? De qua voce dictum est: Ignitum eloquium tuum vehementer.] Et rursus: Eloquium Domini inflammavit eum,] scilicet Ioseph, quem non tam rex, quam hæc flamma dissoluit, & principem Ægypti constituit. Huius mutationis, qua anima ex duritie in suauitatem conuertitur, indices sunt abundantes lacrymæ, in quas cor penè totum resoluitur. Dum enim Christus, vt Gregorius ait, se per spiritum

A suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere possit hoc, quod se capere intra se exultat, & intus miretur, quid fuerit, & quid factam subito seipsam videat.] Hæ lacrymæ suauiter fluunt, & non coactè, sed spontaneè decurrunt, quæ licet solas genas tangant, nescio quomodo animam à sordibus, si quæ remanserunt, lauant, & interiora nostra, vt vireant, vt floreat, & vt fructificent, rigant. Et quidem licet lacrymæ istæ sint aqueæ, non tamen resoluuntur nisi ad præsentiam ignis intus ardentis, & iustorum interiora cremantis, de quibus dictum est in Isaia: Aquæ arderent igni.] Nam cum illæ defluunt, perfectæ animæ cogitationes succenduntur, & nullam requiem sustinentes, ad alta & excelsa cogiranda mouentur. Desideria ardent, & inquieta conuolutione interdum ad ea bona, quæ aliquando erunt, nonnumquam verò ad ea, quæ numquam erunt, appetenda, & cupienda feruntur. Et voluntas his desiderijs velut carbonibus inflammata, omnia caduca respuit, vniuersa terrena reiecit, & solum Deum sicut causam suæ dulcissimæ exultationis admittit. Ex voluntate etiam, (quæ ad spiritum pertinet) in cor carneum ignis iste deriuatur, aut saltem in illud amoris sensibilis scintilla resultat, quæ cor ipsum dilatat, inflammat, mouet, & quod in eo vile & abiectum est, mirabili celeritate consumit. Audi Dauidem. huic cordis inflammationi testimonium perhibentem: Quia inflammatum est cor meum, inquit, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.] Quoniam igne, ò sancte propheta, cor tuum inflammatum est? Certè charitatis igne, quia dum Dei mei gesta cogito, & Domini mei perfectiones considero, amore flagro, & vt ingesta suauitatis exaestu. Et quomodo renes tui commutati sunt? Ita quidem, vt affectus mei, qui prius vt equi effrænes post malum properabãt, iã habentis charitatis gubernati, post bonum currãt, & ad id quod sanctum est, velocissimo cursu festinent. Et quoniam ratione ad nihilum redactus es? sic profectò vt omne humanam, omne scilicet, quod veteris est hominis, in me pereat, & omne diuinum, quod Christo cognatum est, eius spiritu flante consurgat. Quare tandè nesciui? Quia iuxta illud, quod Paulus post modum dicturus erat, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.] Christi crucem (quæ vera sapientia est) firmiter elegi, & mundi sapientiam reprobauit. Illa bona sequitur, cum cor in viris perfectis hoc cælesti amore inflammat, & sanctorum affectuum iteratione succenditur. Quid plura? Ignis iste nonnumquam ad faciem exit, & per mortales artus serpit, & aliquid sui signum in corporibus contiguis producit. Nam & sepe perfectorum vitorum facies rubet, corpus calet, manus, & pedes ardent, non tam naturali calore quam ardore orationis in corpus prodeunte, & seruore virtutis. Multa huius rei exempla possem adducere, in se autem tyrunculis noua, vnum aut alterum non prætermittam. De beatissimo abbate Bernardo, quem ab incunabulis patronum meæ paruitatis elegi, hæc scripta lego: Apparebat in carne eius gratia quadam, spiritualis tamen potius quam carnalis: in vultu claritas præfulgebãt, non terrena vtiq; sed cælestis: in oculis Angelica quædam puritas, & colubina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, vt euidentibus quibusdam iudicij foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis, & gratiæ, copiosè perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimū & sine caribus erat, ipsa etiam subtilissima cutis in genis modicè rubes. Illi nimirum

quicquid

Dan. 3.

Cant. 5.

Psal. 118.
Psa. 104.Greg. in
cant. c. 5.

Isaie 64.

Psal. 72.

1. Cor. 3.

Lib. 3. c. 1.

In vita.

In vita.
13.

quicquid calor inerat, assidua meditatio, & studium sacrae compunctionis attraxerat.] Dominicus inter missarum solemniam Christum eleuans, in altum tollitur, & ab igne, quo intus ardebat, corpus eius subuectum, veluti in ignem conuersum, terram deserens in caelum ferebatur. Franciscus ab illo seraph, qui sibi in monte apparuerat, mirabilem in mente, vt Bonauentura ait, recepit ardorem, & in carne non minus mirabilem admisit effigiem, vt iam non tam terrestrius homo, quam caelestis nuncius, & imago crucifixi crederetur, de monteque descendens, quinque Saluatoris vulnera, & quinque ignis charitatis vitiones detulit, vt earum ostensione vniuersum mundum admiratione compleret. Demum Nicolaus Factor, huius sancti patris alumnus, quadam die ad orandum gelidum stagnum ingressus, ardore mentis primum corpus suum, deinde ardore corporis ita aquam gelidam calefecit, ac si ei vorrices essent ignis subiecti. Haec omnia rara sunt, sed alia in viris perfectis inuenio, sicut minus rara, ita non tam mirabilia, quae indicia sunt interni amoris, quo non solum Deum amant sed ardent, & vi inflammantur amoris. Verba enim illa potentia, & sine vilo nitore, sine vlla eloquentia prolata, quae audientes ad amorem virtutis accendunt, quid sunt nisi scintilla, ex interiori amoris igne resultantes, quae satis aperiunt, cor illud, vnde exeunt, non esse frigidum, sed charitatis igne succensum: iste est ignis, qui sanctorum corda vrit, interiora depascit, & corpus ipsum interdum purum, & agile ad omne opus virtutis efficit. Vnde sicut impij habent ignem suum, vt Gregorius annotauit, flammam scilicet desideriorum temporalium, quae mirum in modum cruciantur, ita sancti habent ignem suum, nempe ardorem amoris, & flammam desiderij caelestis, qua mirabili voluptate perfunduntur.

Greg. 14.
mor. c. 3.

At quonam instrumento sancti hunc in se ignem accendunt, & hunc mirabilem ardorem excusant? Certè non vno instrumento, sed multis: nempe diligentissima sui ipsorum abnegatione, virtutum omnium exercitatione, vitae puritate, sed praecipue assidua oratione, & iugi diuinarum rerum cõtemplatione. Oratio namque petit hunc ignem, & hanc flammam efflagitat, petit, & accipit, & secundum desiderij suum mentem, quae frigida ingressa est, non frigidam, sed calentem, & ardentem dimittit. Contemplatio verò illam immensam Dei pulchritudinem internis praesentat aspectibus, quam perfecti viri conspicientes (vt in hac vita mortali conceditur) siquidem puri sunt, & ad amandum expediti, non possunt non diligere, & eius desiderij inflammari. Hoc autem esse efficacissimum excitandi huius ignis instrumentum Dauid ipse testatur, dum ait: In meditatione mea exarscit ignis.] & Theodoretus egregie in hunc modum expressit. Is (& loquitur de amore erga Deum) eos alit, & rigat, & amicit, & dat pennas, & edocet volare, & efficit, vt caelum transcendant; & eum, qui amatur, quo ad eius fieri potest, ostendit, & visione contemplationis incendit desiderium, & excitat amatorium, & flammam accendit ardentiorem. Quomodo enim ij, qui amant corpora, & aspectu eorum, qui amantur, praebent amori materiam, & illud castrum reddunt vehementius: ita ij, qui accipiunt stimulos diuinae dilectionis, diuinam illam, & quae numquam inrerit, visionem apprehendentes pulchritudinem, efficiunt acutiores aculeos dilectionis, & quo magis frui desiderant, eò magis expellunt satietatē.] Et paulò post: Quomodo ignis quò plus accipit nutrimenti, eò maiorem accipit operationē, ea enim accessione materiae augetur, non obrunditur: ita in Deum dile-

Psal. 38.
Theodor.
oratione
de chari-
tate ad-
firmam
sanctor.

A tio accenditur diuinarum rerum cõtemplatione, & operationem hunc suscipit maiorem, & vehementiorem: & quò magis in rebus diuinis versatus quis fuerit, eò magis accendit flammam dilectionis.] Qui itaque frigidi sumus, & numquam hunc amoris ardorem, quem sancti, & perfecti sentiunt, meruimus experiri, ad illum accipiendum nos constanter praeparemus. Discedant à nobis imperfectiones, abeat vitia, quae nos à praesentia Dei increati ignis elongant. Mortificemus affectus, & passiones nostras, quae nos frigore, & humore replent, & velut ligna humida & indispõta ad charitatis ignem suscipiendum efficiunt. Clamemus, gemamus, fleamus, & postulemus, vt ignis descendat de caelo, qui non ad vindictam, sed ad misericordiam comburat nos, subijciamus sanctorum meditationum stipulas, & attentae cõtemplationis statu focum nostri cordis sufflemus, sic fiet, vt iste amoris ignis accedatur, ardor affectus excietur, & desiderij flamma consurgat. Haec quicquid in nobis prauum est, destruet quicquid foedum emundabit, quicquid abiectum eleuabit, & quicquid rigidum inflectet, vt sancto ardore emollii Christi figuram suscipiamus (qui exemplar est perfectionis) & post istud exiliu in eiusdem gloriam transformemur.

Quòd Deus potentissime perfectos ad
bonum roboret.

CAPVT XXVII.

C **R**OPOSITVM simile Solis, & prouidentiae diuinae erga perfectos adhuc prosequamur, quod horum diuitias & felicitatem amplius patefaciet, & diuinae misericordiae affluentiam circa illos, qui se totos Deo consecrarunt, clarius & illustrius nostris obrutibus offeret. Sol non sola luce, & calore (vt supra dicere cepimus) inferiora corpora fouet, sed & abditissimo influxu eadem generat, conseruat, atque gubernat. Nam & ad viscera terrae, quibus nec lux eius, nec calor appropiat, aliqua ipsius virtus penetrat, quae aurum & argentum & alia metalla producat. Sic prouidentia Dei praeter lucem, qua perfectorum intellectus illuminat, & praeter charitatis ardorem, quo eorundem voluntates inflamat, alios immitit gratiae se quodammodo abscondentis, & quodammodo monstrantis, influxus, quibus eos mirifice inuat, & fortissime roborat, vt quod mente cognoscunt, & desiderij amplectuntur, opere quoque, & vita perficiant. Merito autem hos solis iustitiae influxus aut haec gratia superfluentis auxilia, post lucem & calorem commemoramus quia, vt inquit Bernardus, cognitio, quae ad lumen, & deuotio, quae ad calorem pertinet, sunt veluti duo pedes, quibus innititur anima, vt bonum faciat, & malum vitet, & in sanctitate persistat. Quod dictu est, non quia illa duo, cognitio, & deuotio, ad bonum faciendum, & malum vitandum, & perseverandum sufficiant, sed quia illa bonam actionem praecedant. Non, in qua, sufficiunt, quoniam sicut aliud est, bonum luce nobis data cognoscere, & aliud, idem bonum deuotione, & proprietate voluntatis appetere, & aliud quod cognouimus, & concupiimus, actione prestare, ita aliud auxilium gratiae nobis datur, vt bonum sciamus, aliud, vt bonum appetamus, aliud verò, vt bonum opere, & vita praestemus. Quamuis ergo sit hoc auxilium gratiae sanctis, & perfectis datum, vt bonum cognitum & amatum faciant, quis sufficet explicare? Quis diuitias gratiae his beatis hominibus à Domino mutatas

Bern. ser.
83. in cat.

Matt. 25.

edicit, quas mutuo accipiunt, ut illis negotientur, & quinque talenta perfectionis lucentur, & ad excelsa domicilia gloriae caelestis assurgant? Beati illi, qui non sicut impij recipiunt, & numquam mutuum, quod receperunt, persolunt, sed mandatum iustitiae consecretantes gratiam sibi à Domino mutuam, non sine magno fœnore retribuunt. Mutuabitur peccator, & non soluet, ait sanctus Dauid, iustus autem miseretur & tribuet. Ille mutuum gratiae recipit, sed nunquam soluit, quia numquam secundum praescriptum gratiae, qua vocatus, & inuitatus est, viuit: & ideo in seipsum crudelis existens, dum Deo creditori suo debitum negat, aeternam mortem sibi ipse consciscit. Hic verò scilicet iustus, & maximè qui perfectus est, soluit mutuum gratiae, quod accepit, quia auxiliis diuinis sibi praerogatis vita respondit. In seipsum perfectò misericors est, quia non tam ne mittatur in carcerem, quam ne in Dominum benefactorem suum ingratus existat, & ne charitati desit, non sine fœnore, id est, sine vitae sanctitate, quam gratia Dei operante, & cooperante sibi faciendam suscepit, talentum commendatum restituit. Vide nunc pauperem mysticum, inquit Ambrosius, id est simplicem, & timentem Dei nomen, audientem verbum de castitate, & soluentem: audientem de misericordia, & soluentem: audientem de placiditate, & non irascentem. Diuitem verò illum arrogantem, & superbum, audientem quidem, sed post se reiicientem sermones Dei, audientem de condemnatione luxuriae, & magis luxuriantem. Quibus manifestè docet malos mutuum non soluere, quia verbum Dei audiunt, & gratiam foribus suis assidentem aspiciunt, & illud praetereunt, istamque despiciunt: iustus verò mutuum restituere, quia mandata Dei non solum aure corporis, sed aure quoque mentis excipientes, complent, & gratiam Dei sibi assidentem in domo cordis introducunt. De illis ait Iob: Nōne auris verba diiudicat? quia bona, quae audiunt, in aure retinent, & nequaquam ad effectum venire, & ad opus exire permittunt. De istis verò: & fauces comedentis saporem? nam bona audita festinanter meditatione deglutunt, & in stomachum affectus transfundunt. Quem mysticum intellectum, & reproborum, electorumque discrimen sanctus pater Gregorius in hunc modum exponit. His verbis de electis ac reprobis aliquid videtur innuere: quia verba sapientiae, quae reprobi audiunt, electi non solum audiunt, sed etiam gustant, ut eis in corde sapiat, quod reprobis non mentibus, sed solummodo auribus sonat. Aliud namque est nominatum cibum audire solummodo, aliud verò etiam gustare. Electi itaque cibum sapientiae sic audiunt, ut degustent: quia hoc, quod audiunt, eis per amorem medullitus sapit. Reprobis verò scientia, usque ad cogitationem sonitus tenditur, ut quidem virtutes audiant, sed tamen corde frigido qualiter sapiant, ignorent. Si ergo iusti, sed praecipue perfecti verbum diuinitus datum custodiunt, & gratiam, ac adiutorium sibi concessum, amoris & operis brachiis amplectuntur, non mirum erit, si pro suae sollicitudinis mensura, qua primae gratiae, & prioribus auxiliis cooperantur, maiora & robustiora subsidia recipiant.

Faxit Deus, ut haec auxilia explicare sciamus, & quantis gradibus auxilia iustis imperfectis data superent, utcumque declaremus. Adiutoria imperfectorum, nobis eleemosynae vocanda videntur, quae Pater ille summus, diues in misericordia in illos distribuit, ut eleemosynis acceptis sustententur. Quam appellationem sanctus propheta non refugit, dum

A ait: Ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei. Qui enim fateretur se esse mendicum, ab ea, qui sui sollicitus est, eleemosynam accipit, & panem cibarium pauperibus & mendicis praeparatum, non sine significatione gratitudinis recipit. Ille qui pauperum curam habet, suos pauperes fouet, & adiuuat, & illis necessaria, ne pereant, subministrat, & quod noxium esse potest, misericorditer refecat. Haec, inquam, facit eleemosynas dando, id est, auxilia gratiae communia, & ordinaria praebendo. At adiutoria, quae in sanctos, & perfectos conferuntur, amplissima dona vocanda sunt, quibus Dominus Rex potentissimus amicos, & familiares suos, non utcumque sustentat, sed ita sustentat, ut mirum in modum eos augeat, atque multiplicet. Audi haec dona ab ipsa Dei sapientia commemorata: Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum, & pax est electis Dei: Et, Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Et, Gratias Deo super inenarrabili dono eius. Et iterum; Quoniam felix est sterilis & incoquinata, quae nesciuit thorum in dilecto, habebit fructum in respectu animarum sanctarum: & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima, dabitur enim illi fidei donum electum, & fors in templo Dei acceptissima. Quae namque sunt ista dona, nisi maiora gratiae auxilia, quae communem ordinem superantia, tamquam ingentes Dei opes in suos amicos & aulicos collatae, eos diuites, & magnos efficiunt? Sicut enim Spiritus sanctus vocatur donum, quia est maximum, & praestantissimum, quod homini datur; ita quicquid vocatur donum, quamdam excellentiam secum praefert, si vim nominis inspiciamus, quoniam non ad sustentationem tantum spiritualis vitae, sed ad ornatum, & ad amplitudinem nobis confertur. Vel dic, quod donorum Dei quaedam sunt minora, quae bene viuendi gratiam praestant: quaedam maiora, quae non solum ad bonam vitam, sed etiam ad sanctitatem & perfectionem obtinendam sufficiunt, illa eleemosynas appellamus, quia in virtute mendicis erogantur, ista verò nomen donorum retinent; quoniam diuitibus, id est, perfectis, & virtute magnis conceduntur. Quare & Dauid misit dona de praeda, senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de praeda hostium Domini. Et Assuerus principibus suis dona largitus est, iuxta magnificentiam principalem. Et Salomon dedit reginae Saba omnia quae voluit, & petiuit ab eo; exceptis his, quae vltro obulerat ei munere regio. Quia videlicet (ut historiarum mysteria detegamus) summus Imperator Christus, dum hostes suos in cruce deuicit, & Ecclesiam quasi spirituales Esther sibi in sponsam copulauit, & eam quasi reginam, de longinquo venientem, non iam in domum suam, sed in gremium sui amoris excepit, eisdem, ac filiis suis amplissima dona est dilargitus: is nimirum, qui seniores sunt, non corporis aetate, sed sensu; qui proximi eius sunt, non substantiae situ, sed vita: qui principes sunt, non quia terra imperant, sed quia tamquam viri perfecti suis affectibus & desideriis dominantur. Hi sunt, qui decem minis acceptis, quae auxilia iustis data significant, mina vndecima, id est, adiutorio amplissimo cumulantur, quod signibus & vaeordibus denegatum est. Qui autem huic, Domini iustae dispositioni reluctatus fuerit, audiet ab eo: Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, id est, qui talentum otiosum habet, ac si non haberet, & quod habet, auferetur ab eo. Aqua omnino dispositio.

Psal. 39.

Psal. 36.

Amb. ad. Psal. 36.

Iob. 12.

Greg. IX. mor. c. 4.

B

C

D

E

Sapient. 3.

Psal. 57.

2. Cor. 9. Sapient. 3.

1. Reg. 30.

Ester. 2

3. Reg. 10

Luc. 19.

Bern. ser.
q. in Psal.
Qui habi-
tat.

Nam qui fidelis inuenitur in modico, vt ait Bernardus, iure constituetur super multa: sicut è contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. Accipiunt ergo omnes gratiam Dei: mali, vt cõuertantur, & redeant ad mentem: boni, vt crescant, & virtute proficiant: at perfecti amplissimam gratiam, & ditissima adiutoria suscipiunt, vt quæsitam sanctitatem teneant, & in dies ad maiorem perueniant.

[Sed qua alia similitudine magnitudinem horum auxiliorum, sanctis concessorum, exponemus? Certè auxilia iustis communibus data, similia sunt viribus ordinariis, quas ad pugnandum, & se defendendum, & hostem ferendum hominibus natura concessit. Qui his viribus fulti ambulant, iter faciunt, seipso à latronibus, & à feris tuentur, & interdum siue homines malos, seu bestias in se insurgentes arcent, interdum verò ab illis oppugnati vincuntur. Ita iusti imperfecti cõmunibus subsidiis gratiæ muniti, (quæ communia voco, nõ quia auxilia generalia sint, absit, sed quia communem mensuram gratiæ, quæ bonis dari solet, non excedunt) bonis operibus velut gressibus ambulant, in spiritali vita aliquantulum progrediuntur, & quia datis auxiliis non vtuntur, aliquando cadunt, quia verò illis vtuntur, se à tentationibus aduersarij custodiunt. Populus quidem Domini aduersus hostes suos incircumcisos pugnans, iam illos expugnabat, iam verò victus atque prostratus terga vertebar. Qui, imago est honorum, atque iustorum, nunc enim Dei adiutorio protecti, dæmones vincunt, nunc verò, quia dato sibi auxilio vti nolunt, aduersariorum pedibus proteruntur. At auxilia, sanctis ac perfectis concessa, similia sunt viribus eximii, ac infuetis, quibus Dominus aliquos duces sui populi roborauit, quorum quinque persequebantur centum alienos, & centum de illis decem milia. De his viribus dictum videtur apud Isaiam: Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, neque est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lassio virtutem, & his, qui non sunt fortitudinè, & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, affument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.] Ostendit ipse se sempiternum esse ac creatorem, qui nec deficit cum temporalia comprehendit; nec laborat, cum rebus creatis prouider, nec sapientia eius inuestigatiõni hominum, aut Angelorum se subiicit. Dat lassio, ei scilicet, qui vsque ad lassitudinè pro virtute laborat, operandi, & ad sanctitatem perueniendi virtutem, & infirmis animi fortitudinem, & corporis robur, vt nulla imbecillitate præpediti, in sui creatoris obsequium mirabilia perficiant. Pueri sensibus in labore deficiant, & iuuenes, qui nimium confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum, præ imbecillitate cadent. Qui verò à propria miseria & infirmitate docti, spem suam in Domino collocant, à naturali fortitudine, quæ statim euanesceat & deficit, ad spiritualem transferentur. Hac autem roborati affument pennas bene agendi, & fructuosè contèplandi, quibus à terrenis discedent, & in cælestia euolabunt. Accipient etiam speciosos pedes euangelizantium pacem, quibus sine labore (si opus fuerit) magnam orbis partem peragrabunt, & à cæpto cursu numquam desistent. His magnificis promissionibus perfecti animantur, vt in Deo confidant, & vitæ sanctitatem, quam semel aggressi sunt, numquam deserant. Eaque impleri postulat Paulus non sine ingenti sui cordis affectu: cum ita scribit: Huius rei

Isa. 40.

Ephes. 3.

A gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine.] Sanctus enim spiritus est, qui tum seipso, tum maximis & auxiliis suis viros sanctos corroborat, vt supra communem modum omnem fastum arrogantiam, & vniuersa vitia prosterant, & celsissimam rationem vitæ sectentur. Adolefcens ille rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie, qui vnico iactu fundæ Gigantem deiecit,] suos à nota infamiæ, & cruciatu timoris eripuit, & copiosum hostium exercitum superauit, nõne id supernaturali fortitudine confirmatus præstitit? Ita perfecti, extraordinaria fortitudine cumulati, Gigantem arrogantiam deiciunt, & omnem superbiam, omnem ambitionem, & desiderium honorum, ac dignitatum prosterant. Dux etiam ille populi Israelitici, ab infantia Domino consecratus, super cuius caput nouacula nõ ascendit, & ab omni, quod inebriare potest, abstinuit,] nõne robore diuinitus dato suffultus, in mandibula asini, ac in maxilla puli asinarum occidit mille viros, & victoriam maximam reportauit? Sic profus sancti non communi, sed specialissima gratia circumdati, acies vitiorum extinguunt, & omnia, quæ animæ puritati contradicunt, in fugam conuertunt. Demum ille iuuenis secundum opinionem mundanorum infelix, qui à suis hostibus occisus interit, sed re vera felix, atque beatus, siquidem voluntati Domini se submittit, & regnum iure hæreditario sibi debitum, iuxta cælestem dispositionem (quod ad se pertinet) alteri tradidit, nõne supernaturali virtute animatus ad stationem Philistinorum ascendit, & vnus multitudinè hostium in fugam conuertit, & copiosum eorū numerum vita priuauit? Eodem modo homines virtute magni, maximis adiutoriis, eximiis subsidiis fulti sunt, vt quasi manibus pedibusque reptantes, montem perfectionis occupet, & aduersarios viam impedire molientes expugnet? Datur itaq; perfectis gratiæ auxilia maxima, subsidia copiosissima, virisque robustissima, vt vitia conficiant, affectus moderentur, virtutū arcem consequantur, & ad Dei familiaritatem intimam, & perfectum amorem assurgant. Quomodo enim timidi immanem hostem aggredere, imbecilles vincerent, mendici ditescerent, & natura sua hūmi repentes, in vitam cælestem ascenderent: nisi magna virtus gratiæ illis vires, & animos adderet, & ingens auxiliorum copia ad pugnandum, ad vincendum, & ad cælum perfectionis diripiendum adiuuaret?

E Adiutoria quidè omnibus iustis data, vocare possumus panem communem, quo quotidie, imò singulis momentis reficiuntur, ne deficiant in via, & ne vitam spiritualem derelinquāt: adiutoria verò perfectis prærogata vocamus panem miraculosum, quo pasti, & affati sati atque ad culmen montis, & ad fastigium sanctissimæ vitæ perueniant. Nam & Elias accepto de manu Angeli subcineritio pane, & aqua valse, ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.] O cibus salubris! ò panis admirabilis! refectio planè miraculosa, quæ humanæ imbecillitatis lassitudinem depellebat, & tantam fortitudinem ministrabat! Huic similis est concessa sanctis gratia, in cuius fortitudine ambulant quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, imò omnibus diebus vitæ suæ, siue prosperitate luceant, siue aduersitate tenebrescant, quousque montem Horeb occupent, & ad vitam omni praua affectione desertam, &

1. Reg. 17.

Iudic. 5.

1. Reg. 14.

1. Reg. 19.

charitatis perfectione repletam ascendat. His auxiliis iam non incipiunt, quia excellerunt vitæ spiritualis pueritiam, sed virtute proficiunt, sed puritate crescunt, sed perfectione obtinentes in ea in dies, ad celsiorem gradum prouehuntur. Sicut enim plantæ, & arbores primum quidem ut pullulent, & incipiunt esse, calorem solis & virtutem cæli percipiunt, postea verò robustiori virtute iuantur, ut debita magnitudinis habeant incrementum: ita perfectio in principio minoribus auxiliis rigatur, ne impetita tentationibus exarescat, deinde verò maioribus adiutoriis fouetur, ut in immensum augeatur, & crescat. Si ergo eadem est ratio arbusculæ, atque iustitiæ, non dubium, quin sicut illa minoribus cæli influxibus exoritur, & maioribus roboratur (quod ipse maior effectus perspicue indicat) ita & hæc minoribus gratiæ auxiliis incipit, & maioribus ac robustioribus adiutoriis vires perfectionis assumit: Apostoli namque simplici & submissa voce ad disciplinam Christi vocantur, dum illis dictum est: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum, [at non simplici voce sed sonitu vehemēti, & ardētissimo igne ad huius disciplinæ perfectionem prouehuntur. Denique, & factus, inquit, est de cælo sonus tamquam aduentis spiritus vehementis, & repleuit totā domum, ubi erant sedentes. Et apparuerūt illis dispersitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorū.] Idem omnino in aliis iustis cōmuniter reperiemus, quod scilicet minoribus gratiæ donis ad bonam vitam tracti sunt, at amplioribus, & insignioribus ad perfectionem vitæ bonæ perducti: Sicut enim (si rerum naturam spectes) facilius est vitam spirituales inchoare, quam eius perfectionem proficere, & ad sublimitatē peruenire (ideoque bona vita multorum est, perfectio autem paucissimorum) ita spiritualis vitæ facilius auxiliis gratiæ inchoanda suscipitur, maioribus tamen continuatur, & multo maioribus sanctitas, & perfectio, quæ eius est finis, retinetur.

Sancti ergo, eo ipso quod sancti sunt, maximis Dei auxiliis roborantur, tum ut sanctitatem adipiscantur, tum ut adeptam sanctitatem augeant, tum denique ut in ea perseuerent. Et prouidentia sol benignius eos aspiciat, efficacius mouet, & copiosius illustrat, quos sapientiores efficit, sublimiores reddit, & secum arctioribus vinculis charitatis astringit. Nouit certe Dominus dies immaculorum, [quia eos singulari dilectione approbat, & hereditas eorū, quam ipse prouidentia singulari conseruat, in æternū erit.] Confirmat etiam iustos Dominus, [quia naturalem eorum leuitatem non leuibus, imò grauissimis beneficiis onerat, ut eos perfectè sibi addictos in sanctitate stabiliat. Hanc ob causam dicit quoque cæteris eorum suum adiutorem laudans: Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.] Perunt enim illi hanc salutem magnā, quam facit Dominus in Israel, in his scilicet, qui contemplantur Deum. Et audit Dominus petitiones cordis eorum, suscipit vota, implet desideria, & fit illis vera & perfecta salus, quam non solum damnatio non euertat, sed nec peccati infirmitas interceptat. Experiuntur denique, quia bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quietē illum. Bonus, inquam, id est, benignus, qui in se sperantes non deserit, ab eū querentibus se non abscondit, sed dona maxima sua, imò & seipsum eisdem largitur, & profusè tribuit. Propter horum adiutorium, ac protectionem facit maximè illa magnalia, quæ Moyses in Deuteronomio commemorat. Hic enim populum Israeliticum corporeis oculis videns, sed perfectorum ordinem oculis spiritualibus cernens, hæc ait: Inuenit eum in

terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.] Quid enim peccato indigentius? quid propria voluntate horribilius? quid effrenato appetitu miserius? sed in hac inculta & misera solitudine, vna virgine excepta, quemnam sanctorum inuenit? at non desepxit illum, neque ut morosus sacerdos, aut leuita præteritit, sed ut benignus Samaritanus, id est, ut custos misericordia plenus, circumduxit eum, & docuit, & custodiuit, quasi pupillam oculi sui. Circumduxit eum, qui ab exterioribus ad interiora, ne pereat, & ab interioribus ad exteriora, ne fragilis natura succumbat, iteratis vicibus ducit. Docet illum non solum communia, sed singularia quoque, & arcana legis suæ, ut ea opere compleat, & censilia præceptis adiciat. Custodit etiam virum perfectum, ut pupillam oculi sui, quam palpebræ, & cilia circumdant, ne puluisculum affectionis immoderatæ sustineat. Dominus verò nondum hac eximia protectione contentus, aliam non minore adiecit. Nam sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.] O magna benignitas Creatoris, aquilæ se comparat, quæ & pullos, quos ex intrepido solis aspectu filios agnoscit, rostro, & alis percutiens ad volandum excitat: & ipsis volantibus superuolitat, ut ex eminentiori loco omnia circumspiciat, & si aliquid periculi superuenerit, statim ad subueniendum occurrat: quod si filios fatigatos aduertat, supponit se eis, quos super dorsum acceptos in nidulum suum vehit, ut à lassitudinis molestia custodiat. Ita dulcis Dominus, ac verus Pater sanctorum & perfectorum, eos, si paululum obdormiscant, abditissimis vocibus, & occultissimis sermonibus, qui solum in corde sonant, ad nouos profectus, & nouas amoris adinventiones prouocat: ipsosque operantes præcedit, comitatur, atque subsequitur, ne errent, neve labantur, & ne à cepto desistant: & seipso, qui summa veritas est, illos vndique velut scuto circumdat: quod si aliquid aduersi pariantur, statim adest, ut tristes consoletur, oppugnatos adiuuet, nutantes erigat, & fatigatos suæ potestatis humeris in alium attollat. Beatus es planè o tu Israel, o cæterus & congregatio sanctorum, quis similis tui popule, qui saluaris in Domino: scutum auxiliij tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.] Beatus inquam tu, qui fidelis inuenitus, in statum amicissimorum admitteris, & in dignitatē filiorum prouehis. Nullus similis tui, quia nullus paria auxilia suscipit, nec æqualia subsidia recipit, ac tu, qui potentissimè saluaris in Domino. Ipse est scutum auxiliij tui, quoniam Deus est, qui benedicit iustos, & scuto bonæ voluntatis suæ coronat eos.] Ipse gladius gloriæ tuæ, quo hostes tuos percutias, atque prosternas: ut possis dicere: In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis: Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.] Negabunt te inimici tui, quia dæmones te aduersarij videntes odio prosequuntur, & facto agmine in te irruent, sed tu non clypeo protectus, aut galea, sed diuina misericordia circumdatus, eos videbis & vinces, & ipsorum colla calcabis. Qui ergo ista magna auxilia, quibus ad sanctitatem peruenitur, nobis nondum dari sentimus, feruidè & perseueranter postulemus ea, & auxiliis gratiæ nobis datis cooperemur. Qui enim fidelis est in minimo, ut ait Dominus, & in maiori fidelis est, ut acceptis auxiliis minoribus maiora recipiat, & ex communi virtute ad perfectam & consummatam ascendat.

Luc. 10

Deu. 32.

Psal. 90.

Deu. 33.

Psal. 5.

Psal. 43.

Luc. 16.

Quod

Matt. 4.

Act. 2.

Psal. 36.

Psal. 36.

Psal. 117.

Thren. 3.

Deut. 32.

Num. 20. suffecerat. Mox verò astitit propra & benigna castigatio: & ipsi suæ infidelitatis sententiam audiunt. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me corâ filijs Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.] Ecce sententiam, quæ profectò non fuit comminatio, sed irremissibilis eorum punitio.

Num. 20. Paulò enim post dixit Dominus Moysi: Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filijs Israël, eo quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis, & mortuus est in montis supercilio.] Et postea Moysi, visa terra sibi promissa, loquutus est Dominus: Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusque est ibi, scilicet in mòre Nebo Moyses seruus Domini.] Fuit sanè istorum duorum perfectorum propra castigatio, ne iterum incredulitate peccarent; & benigna, quia temporalis, ne in perpetuum suo dilecto carerent. At quòd peccatum Samuelis nobis explicatum est? Certè nullum, quia non tam grauitè, ac duo præfati deliquit. Sed mundissimi Dei oculi aliquid in eo repererunt, licèt leue, quòd (vt Augustinus ait) contradictione populorum castigaret. Ille quippe iustus, qui annis quadraginta Israeliticam plebem sapientissimè rexir, & sanctissimè gubernauit, quo tempore in maiori pretio habendus esset, à subditis, quos æquissimus iudex rexerat, quos fidelissimus Pater amauerat, iniuriosè reiectus est. Constitue, inquit, nobis regem, qui iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.] Ac si dixissent: Nolumus te amplius regnare super nos, elige nobis alium meliorem, cui libenter pareamus. Vltus est itaque Dominus in adinventiones, siue in minùs ordinatas affectiones perfectorum istorum, tum vt illos ab iteratione peccatorum abduceret (quòd magna fuit misericordia) tum vt iam admissa castigaret. Nec deest nobis alius perfectus in diuinis literis, quem his tribus prædictis superaddamus. Est autem ille ipse, qui eorum mentionem fecit, nempe sanctus David. Is quippe, cum arrogantia, & inani gloria ductus, populum numerasset, statim propria conscientia (quam in sanctis diximus esse tenerrimam) multatus est. Procumbensque ad pedes Domini ait: Peccaui valde in hoc facto; sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.] Vide primam huius peccati vltionem à propria conscientia decretam. Sed statim alia, & quidem grauis à Domino inflicta subsequitur. Nam Dauidi optio datur, vt eligat, num malit septem annis suum regnum fame confici, an tribus mensibus suos aduersarios fugere, an tribus diebus pestilentia fatigari. Retrahit ergo Dominus à malis viros perfectos, castigatione defectuum suorum benigna, atque præcipiti; benigna, quoniam eos amat, & ideo eos mitissimè, id est temporaliter, ferit; & celeri, quoniam pro eorum puritate diligentissimè zelat. Si Dominus quidem peccatores puniat, & nequaquam in suis peccatis diu manere permittat, magnam erga illos misericordiam exercet. Vnde in libro Machabæorum legimus: Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium.] Quantò maior erit hæc misericordia erga iustos, & præcipuè erga viros perfectos, quorum partas diuitias hac ratione custodit, & ne amittant, quòd multis laboribus compararunt, prouidentissima increpatione, & opportuna vltione procurat: Si enim maius beneficium est, diuitè & nobilem, quàm pauperem, & infimam sortis hominem à graui infamia liberare: cum latius quoque erit donum, virum sanctum, si deficiat, quàm peccatorè percutere, & à peccato, & con digna peccati retributione dimouere.

A Hoc autem magnum beneficium, quo Deus viros perfectos, ne amplius cadant, citissima reprehensione, & punitio castigat, non solum in sanctos veteris testamenti contulit, sed sapissimè perfectis nouæ legis attribuit. Qui enim cum viris spiritalibus, & suam puritatem cupientibus conuersatus est, non ignorabit, quanto ipsi pro leuissimis imperfectionibus cruciatu mentis angantur, quantis lacrymis, & singultibus eas desceant, quanta sui ipsorum humilitate, & deiectione emendent, & quantis corporis asperitatibus, & afflictionibus puniant. Non quia putent eas letales aut graues esse, qui homines sunt sapientissimi, sed quia magnam ingratitude purant, pro singularibus beneficiis acceptis imperfectiones offerre, & tantum Dei erga ipsos amorem tepore, & obliuione persoluerè. Hæc quidem non solum satisfactiones iustorum pro delictis suis, sed & dona, & reprehensiones Dei sunt, qui ipsi tamquam administris, & certè fidelissimis vtiuntur, vt in ipsosmet leues culpas vindicet, & non aliena, sed ipsorum manu castiget. Nonne in familiis religioso est consuetudine receptum, vt prælatu subditum delinquentem ipsius delinquentis manu puniat, & ei vt ieiunet, vel vt seipsum flagellet, vel humi sedens comedat, vel aliquid simile sustinendum præcipiat? Ita Dominus, qui cum perfectis, quasi cum dilectis filiis agit, eorum errata non aliena, sed propria ipsorum manu punit, dum eos ad compunctionem, & lacrymas, & ad opera satisfactionis mouet.

B Hinc Thomas sanctissimus Cantuariensis Archiepiscopus, cum Henrico Angelorum Regi, in quibusdam Ecclesiasticæ libertati contrariis assensum verbo tenuis, bonaque intentione præbisset, tanta indignatione in seipsum efferebatur, vt se à ministerio sacri altaris suspenderet, donec Alexander tertius Pontifex maximus, eum humiliter abstinentem viuifico ministerio restituerit. Hinc beatus Martinus Turonensis Episcopus, cum communiori hæreticorum Episcoporum se miscuisset, vt quosdam viros nobiles à more illis imminente liberaret, & Maximum Imperatorem, qui in eos capitis sententiam tulerat, aliqua ratione placaret, statim pœnitentia ductus indoluit, & velut alter Petrus, inde se proripuit, vnde sibi occasio delinquendi prouenerat. Eum etiam Angelus à Domino missus vehementer increpuit. Merito, dixit, Martine compungeris, sed aliter exire nequisti: repara virtutem, resume constantiam, ne iam non periculum gloriæ, sed salutis incurras. Hanc increpationem alia pœna subsequitur, nam energumenos, quibus antea incredibili facilitate medebatur, post istam communionem, quam non spiritu, sed necessitate compulsus admisit, tardius & gratia minore curabat, ipso attestante se propter communionis illius malum, detrimentum sentire virtutis. Hinc alius quidam Anachoreta, cum à culice morsus nulla indignatione illum digito interemisset, tanta indignationis huius pœna tactus est, vt seipsum nudum in sterquilinum culicibus cooperitum abiceret, nudusque ibi, & immobilis manserit, quousque culices penè omnes eius carnes exederint. Redeamus nunc ad supra dicta, & tantisper philosophemur. Numquid in Israelitico populo non erant impurissimi homines, & perditissimi, qui grauius quàm Moyses & Aaron Deum ipsorum ductorem offenderant? quare amicos pro errato, primo aspectu non graui, ita punit, & crimina iniquorum dissimulat? Numquid inter iudices, & gubernatores populorum, non fuerunt alij, qui Samuelem in minimis tantum errantem, peccatis vincerent, & grauissimè delinquentes malitia superarent? quare istum po-

*Suri. To.
6. in vita.*

*Sulpitius
in vita.*

Isaia 1.

Apo. 22.

Psal. 36.

Bern. ser. 2. in Psal. Qui habitat.

Prov. 14.

Rom. 8.

Mat. 5.

Bern. ser. 8. in Cant.

puli contradictione, & despectione mulctat, & nequaquam in hac vita illorum, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, flagitia castigat? Numquid non fuerunt in Ecclesia Archiepiscopi, qui magis obediunt regibus, quam Deo, & vt illorum impia iussa capefferent, diuinis legibus renunciant? Nonne fuerunt in Christi congregatione prelati, qui non solum communioni se hereticorum miscuerunt, sed & in haereses impiissimas sunt prolapsi? Nonne fuerunt in coetu fidelium homines, qui non sanguinem calicum, sed sanguinem hominum profuderunt, & innocentes huius lucis vsura priuarunt? Quare Deus istos statim poenitentia, & dolore non tangit, & vt, qui nocent, noceant adhuc; & qui in sordibus sunt, sordescant adhuc, in suis peccatis quasi in volutabro luti iacere permittit? Viros autem perfectos, qui aut solum in minimis cadunt, aut si in aliquo non minimo praefirmitate cadunt, statim reprehendit, & vestigio punit, & sine mora temporali molestia castigat? Id quidem facit Dominus, quia illos contemnit, istos maxime facit, quia illos auersatur, istos diligit: quia illos, nisi respiciant, aeternis ignibus est puniendus; istos vero, quos temporaliter punit, aeterna mercede est praemiaturus. Id quidem facit, vt propea increpatione, & celeri ultione, quod sibi ingratum est, statim in illis adurat, & a similibus malis amoueatur. Cum ceciderit iustus, inquit Sanctus David, non colliditur, quia Dominus supponit manum suam. Impius colliditur, quia Dominus iustissime iratus manum benignae correctionis non ponit, & ideo quasi dilaceratus iniquitati adharet, & in peccato persistit. Iustus vero non colliditur, quoniam mollissima manu diuinae increpationis susceptus, mox in pristinum statum erigitur. Homines, ait Bernardus, aliquando cadere necesse est, dum in hoc saeculo detinentur, sed alij colliduntur, alij non, quia Dominus supponit manum suam. Sed quomodo eos discernere poterimus, vt segregemus iuxta Domini exemplum agnos ab haedibus, iustos ab iniustis? Nam & iustus seipies in die cadit. Verum hoc interest inter eorum casus, quod iustus suscipitur a Domino: ideoque resurgit fortior: iniustus autem cum ceciderit, non adiciet ultra vt resurgat: imo vero aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat, quod fecit, & hic est pudor adducens peccatum: aut fit ei frons meretricis, & iam nec Deum timet, nec hominem reueretur, sed praedicat peccatum suum sicut Sodoma. Iustus vero supra manum Domini cadit, & miro quodam modo etiam ipsum ei peccatum in iustitiam cooperatur. Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, vnde & humiliores efficitur, & cautiore? Nonne Dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? Hac itaque ratione misericors Deus, viros perfectos a peccatis auocat, dum scilicet illos, aut increpat, aut punit, aut saltem postquam ceciderint, ne iterum cadant, efficaci admonitione custodit. Cui par est nos obedire, si nolumus tantae misericordiae contraire. Ad quod Saluator nos hortatur dicens: Esto consentiens aduersario tuo, dum es in via cum illo. Quis enim est hic aduersarius, nisi ipse Dominus? se aduersarium vocans, quod aduersetur carnalibus desiderijs nostris, vt idem Bernardus annotauit, dum dicit: Hi errant corde. Huic aduersario peccatorum nostrorum, sed fidelissimo amico nostro consentiamus, dum nos arguit, dum nos flagello a peccatis abducit, vt quotidie, si non omnimodam puritatem, quae caelesti regno referuatur, saltem maiorem in dies puritatem acquiramus.

A Ita quidem Dominus perfectos, si aliquando ceciderint, a peccato retrahit, sed antequam cadant, alio modo, & certe mirabili a peccatis abducit. Nam eorum mentibus clarissimam cognitionem peccatorum, & tentationum, & periculorum spiritualium immittit, vt videntes praecipitium, fugiant, & se ab omni lapsu submoueant. Qui tepide & segniter Domino famulantur, saepe graua peccata non esse graua, sed leuia putant, leuia quasi nullius momenti despiciunt, & se illis inquinari non verentur, decipulas daemorum, scilicet tentationes, ignorant, & inter labedi pericula, securi dormiunt, & sine vlla formidine, aut vana praesumptione pleni, aut nulla eorum cognitione percussu lati in ea se coniciunt. At perfecti, & viri spirituales, qui diligenter suae salutis consulunt, a Domino edocti, peccata graua, eminens se ostentantia, nimis exhorrent, imperfectiones leues, quas grande tepiditatis malum animae afferre sciunt, valde timent: tentationes etiam sub virtutis specie insurgentes callent, pericula etiam minima, aut inquietudinis, aut foeditatis aduertunt, & ab iis, quae suae puritati aduersa cognoscunt, sollicitudine se diligenti custodiunt. Peccata profecto graua sicut mortem horrent, quia non speculatione tantum, sed sapida quadam, & efficacissima notione ea esse mortem animae vident, & horribiliorem morte corporis esse pendunt. Ista enim mors, ait Gregorius, in qua caro separatur ab anima, vmbra illius mortis est, in qua anima separatur a Deo. Et ex timore, quo corpus mortis vmbra timet, quanto timore anima mortis veritatem, id est, graue peccatum, timere debeat, addiscit. Leuia peccata, & imperfectiones fugiunt, quia experimento norunt, quod feruorem charitatis extinguunt. Quare, vt inquit Isidorus, peccata, quae incipientibus leuia sunt, perfectis viris graua reputantur, non quia ipsi, vt praefati sumus, graua aestiment, sed quia graue tepiditatis malum ex leuibus peccatis exortum pertimescunt. Tentationes etiam speciem boni praeferentes abiciunt, quia sub esca, statim diaboli hamum introspiciunt. Non ignorant quod plerumque plus periculi est in insidiatore occulto, vt dixit Leo Papa, quam in hoste manifesto, quare & hosti manifeste tentati, & insidiatori in obscuro sagittas mittenti, se prudenter opponunt. A periculis tandem se subtrahunt. Sciunt enim, quoniam qui amat periculum, in illo peribit. Et docente humilitate se infirmos, & fragiles reputant, & vt fragiles nullo modo temere se periculis committunt, sed ab illis seipos abscondunt. Vniuersa haec, magna rerum, & occasionum cognitio a Deo sanctis concessa perficit, & dum verum malum scilicet peccatum, detegit, ab eo grauius fugiendum esse decernit. Hac perfecti illustrati cognoscunt cuncta terrena, & ipsam temporalem vitam non esse cum animi puritate conferendam, & vt hanc custodiant terrenam substantiam, commoda, honores, dignitates profundunt, & corporis salutem, & vitam ipsam periculo exponunt. In quo sane prudentissimi sunt, quoniam imitatores Dei in hoc se exhibent, qui interdum, si necesse sit, omne caducum in nobis percutit, vt quod aeternum est, sanct. Optimè namque Bernardus ait: Haec nimirum commendata a Christo, & Christianis omnibus imitanda serpentis prudentia est, vt caput solum, toto (si necesse fuerit) exposito corpore tueatur. Haec vera Philosophia, hoc consilium sapientis, vt omni custodia seruetur cor, quia ex ipso vita procedit. Haec denique gratia, & misericordia Dei in seruos eius, & respectus in electos illius, vt eorum quidem sinistram velut dissimulans, dexteram semper studiosus protektor assistat. Hinc est, quod de

Greg. 11. mor. c. 10.

Isidor. lib. 2. de sum. bono. c. 10.

Leo ser. 9. Quadr.

Ecl. 3.

Bern. ser. 7. in Psal. Qui habitat. Prov. 4.

sciplo

Psal. 117. scipio Propheta testatur: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commoueat.] Numquid non & illius manum dexteram, & solam eam dexteram putas tenuisse, cuius totam in facultatem pariter, & in carnem, licere passus est, quicquid liberè visum est inimico: Verum tamen animam, inquit, eius serua.] Vinā mihi semper à dextris sis Iesu bone, utinā semper teneas manum dexteram meam. Scio enim, & certus sum, quoniam nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Tondeatur interim, & tundatur sinistrum latus, pulserit iniuriis, vellicetur opprobriis: libens illud expono, dum à te custodiar, dummodo sis ipse protectio mea super manum dexteram meam:] Hæc huius perfecti sententia, hæc eius petitio est, non tamen solius, sed omnium perfectorum, qui sapientissima cognitione nobilitati, quod summis conatibus fugiendum est, fugiunt, & minora mala, nempe temporalia tolerant, vt in maiora, scilicet in mentis mala non incurrant.

At cognitio mali ad fugiendum malum non sufficit, quia sæpè malum cognoscimus, & quoniam illud aut vitale, aut delectabile apprehendimus, hæc falsa boni specie decepti nõ vitamus. Datur itaque perfectis à Domino robur, & fortitudo, qua, quid malum iudicant, prudenter vitant, & procul à seipsis amandant. Si enim illum Deus iuuat, vt inquit Ambrosius, quem videt tota virtute contendere, quomodo non iuuabit viros perfectos, vt malis abstineant, quos videt (se donante) omni conatu pro virtute contendere, & gratiæ sibi datæ cooperari?] Ipse quidem eos firmat, eos roborat, eos omne peccatum fugientes suscipit, & vt infantulos in gremio sue protectionis abscondit, ne in peccatum offendant, & quod valde timent, illis eueniat. Impulsus, ait sanctus David, euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me. Impellit me Diabolus, dum sub prætextu virtutis noxia suadet, & Dominus suscipit me, robur ad resistendum donans, quo diabolum fugo, & longè à meipso profugio. Scriptum est enim: Resistite diabolo, & fugiet à vobis.] Impellit me mundus, qui in maligno positus, dum honores & dignitates offert, suos amicos euerit; at Dominus suscipit me, cuius virtute protectus iniquam amicitiam dissoluo, ne in Dei inimicitiam incurram. Nam quicumque voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.] Impellit me caro, dum malè dulcia, & amarè suauia proponit. At Dominus me non derelinquit, vt carnem proterens, & meipsum conculcans, præclarissimum victoris nomen obtineam. Nam melior est qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.]

Ambrosius in 1. ad Cor. 7.

Psal. 117.

Iacob. 4.

Iacob. 4.

Prou. 26.

Psal. 90.

Si Dominus me roborat, vt hostes meos, ad peccata impellentes vincam, & ipsa peccata commissa deleat, & à committendis me liberem, dicam illi non solum doctor meus es tu; sed & susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus. sperabo in eū.] Susceptor quidem meus, quoniam sollicitissimam mei curam gerit, & refugium meum, quoniam me protectione sua peccatis eripit, in quo se, & Deū, & creatorem ostendit. Solus enim Deus potens est figmentum liberi arbitrij sine eius læsione, à peccatis auellere, & creaturam de se in malum labentem à malo liberare. Triplici ergo ratione Dominus perfectos suos à peccatis auocat. Primò, docendo eos peccatorum scditatem, & eorum malitiam, vt ea se inquinati timeant; & summam bonitatem, vt erga illa charitatis feruorem amittere pertimescant. Secundò, roborando illos, vt animæ hostibus resistant, & nulla fallaci boni specie decepti iter virtutis deserant. Tertio, si aliquando ceciderint, eos statim reprehendo

et castigando, vt cita reprehensio vercundiam & timorem ingerat, ac propterea castigatio ab iteratione peccatorum auertrat. Hæc beneficia sapientissimè accipiunt, hæc dona in se vident; quorum consideratione in amore & feruore quotidie crescunt, & ad maiorem Dei vniõnem aspirant, à quo solo se liberari comperiunt. Dicitque quisque eorū sibi ipsi illud Davidis; Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.] Ne inquam, anima mea auertaris à requie tua, qui Deus est, sed magis in illū intellectu & affectu conuertere, quia ipse est fons omnium bonorū, qui omnia bona quæ habes, reddidit tibi: Ipse est, qui animam meam eripuit à morte grauis peccati; quo pacto enim potest anima immortalis mori, nisi quia illa, quæ secundum naturam perseuerat, per peccatum à Deo vera vita se separat? Ipse etiam est, qui pedes affectuum meorum eripuit à multiplici leuium peccatorum lapsu. Quod si non ab omni profusus lapsu exempti sumus, quia infirmitas carnis id non sustinet, veniet tamen tempus immortalitatis, in quo ab omni lapsu liberabit. Tunc autem (vt ait Augustinus) eximet oculos nostros à lacrymis, quia tunc nullus erit lapsus ambulantium pedum, quando infirmæ carnis nullū erit lubricum.] Vinam magna puritate, & vitæ sanctitate viuamus, quia in præmium illius hunc felicissimum statum, à quo omnino peccatum abest, aliquando tandem possidebimus.

Psal. 114.

Aug. ibid.

Quod Deus suauissimè perfectos à tribulationibus liberat.

CAPVT XXIX.



ONNIHIL adhuc superest, quod de proposito simili solis, & prouidentia dicamus, in quo aliud perfectorum bonum, & aliud erga illos Dei beneficium elucet. Illud autem est, quod sicut sol corpora sibi subiecta, luce, & calore, malis maioribus & minoribus liberat; ita suauissima prouidentia Dei à sanctis, & dilectis suis, non tantum maiora mala, verum minora quoque depellit. Sol quidem, dum in rebus corruptioni obnoxius, vitæ, & salutis est causa, maiora mala mortis, & infirmitatis submouet, quæ consueverunt terrigenis afferre perniciem: & dum est calor, & claritatis origo, minora pellit mala frigoris, ac tenebrarum, quæ & corpus eneruant, & rerum pulcherrimarū aspectu, & admiratione nos priuant. Sic diuina prouidentia sole largior, & in nos omni re creata profusior, nequaquam sanctos suos solis maioribus malis, sed etiam minoribus liberat, vt ex ea vniuersa bona tam maiora quam minora percipiant. Maiora mala voco peccata, quæ Deo displicent, rationi rectæ contradicunt, & animæ, selectiori parti hominis nocent: minora verò mala appello tribulationes & molestias huius vitæ, quæ nec Deo, in nobis nostrum spirituale emolumentū quærenti iniuriam sunt, neque eas pati rationi rectæ est contrariū, & licet corpus affligant, nobis tamen patienter sustentibus minimè efficiunt. Liberat ergo Dominus viros perfectos à maioribus, & veris malis, quia eos (vt præfati sumus) diligentissimè à peccatis retrahit: liberat etiam à malis minoribus, qui ab illis suauissimè tribulationes & molestias auerit. Idque sanctus David manifestè declarat, cum viro iusto dicit: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Loquitur apertè cum viro

Psal. 90.

iusto,

Psal. 90.
Ierem. 2.
Psal. 48.
Ierem. 17.
Bern. ser. 11. in Ps. Qui habitabat.
Jacob. 1.
Psal. 43.
Mat. 6.
Zach. 13.
Chrysof. hom. 1. in Psal. 1. ad populum.
Luce. 16.

iusto, & maximè cum viro perfecto: cum illo scilicet, qui habitat in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cœli commorabitur.] Hic verò perfectus est, qui nec de diuina bonitate diffidit, dicens illud Ieremias: Desperavi nequaquam faciam (quod præcipit Deus) adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo.] Nec in seipso confidit, aut in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum.] Nec in hominibus fiduciam suam collocat, cum scriptum sit: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.] Sperat autem in adiutorio Altissimi, quem assequi desiderat, què offendere timet, cuius gratia nititur cooperari. Loquitur, inquam, David cum perfecto viro qui inter se, & tabernaculum suum, nempe corpus suum, magnum discrimen constituit, & animam, aut seipsum, aut præcipuum sui partem cogitat, corpus verò mentis domicilium existimat. Quod Bernardus hac luculentissima oratione confirmat: Sanè considera non ad hominem, qui secundum carnem viuit, sed ad eum, qui in carne degeat, secundum spiritum ambulat, hæc fieri promissionem. Siquidem non est distinguere, inter illum, & tabernaculum illius, confusa in eo sunt omnia, tamquam in filio Babylonis. Denique huiusmodi homo etiam caro est, neque in eo spiritus manet. Vbi autem non fuerit spiritus bonus, quando deerit malum? Porro ubi malum, flagellum quoque appropinquet necesse est.] Huicigitur viro iusto, atque perfecto dicit: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.] Id est malum peccati non nocebit tibi, à quo tamquam à facie colubri è vestigio diffugies: & tribulationis flagellum tabernaculo corporis tui non appropiabit, à quo mirabiliter liberaberis.

Facit ergo Dominus, vt sanctos & perfectos viros tribulationes non tangant, non quia non tribulantur, sed quia tribulationibus non opprimuntur, nec molestiis huius exilij turbentur. Habent illi quidem tribulationes & pressuras suas, quæ corpus feriunt, quæ carnem percutiunt, quæ, quod est mortale & caducum dilacerant. Beatus enim vir, qui fuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.] Et, dediisti nos tamquam oues escarum, & in gètibus dispersisti nos.] Ac rursus: Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.] Perfecti quoque simul cum aliis petunt: Ne nos inducas in tentationem,] qua oratione nullatenus petunt, vt non tentètur, sed à tentationibus irruètibilibus liberètur. Dominus etiam per Zachariam ait: Et ducam tertiam partem, id est, iustos, per ignem, & vram eos, sicut vritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum.] Meritò autem Dominus sanctis, & electis suis tribulationes immittit, quoniam (vt affirmat Chrysofostomus) tribulatio omnium virtutum est mater, ac filiorum pædagogus, nec debuerunt illi, qui præ omnibus diliguntur, matre priuari, à qua nutriantur, nec pedagogo, cuius industria doceantur, & nõ solù magnis virtus, sed etiã minimis defectibus liberètur. Illi sanè antequàm sanctam conuersationem arriperent, fortassis in graui peccata prolapsi, & post conuersionem suam modicos defectus, & leuia peccata patrare non cessant, ad quæ ipsa carnis fragilitate propemodum impelluntur, tribulationes verò, præterita crimina, & præsentia peccata non sine suauissima Dei dispensatione castigant. Quod videmus in mendico Lazaro, recepit enim ille malazid est, labores & corporis dolores, ac plagas in vita sua, vt castigatis & purgatis defectibus suis cõsolationem diuini epuloni negatam acciperet. Nonnumquam etiam virorum

A fallaci suauitate perfecti tentantur, & rerum temporalium curis, velut firenarum cantu præpediuntur, ne nouos faciant in virtute progressus, & tribulationis flagello à vitis arcentur, à rerum labentium amore reuelluntur, & ad currendum in via spiritus incitantur: Nam multiplicatae sunt infirmitates eorù postea accelerauerunt.] Indigent illi continuo augmento diuinæ lucis, qua & perfectiùs cœlestiù maiestatem agnoscant, & terrestriù, vtilitatem percipiant: hanc verò lucè percussis tribulationibus auget, & cor quasi lapidem feriens, scintilla ignis lucentis educit. Nonne Tobias felle piscis super oculos suos imposito, cæcitatem ablegauit, & visum recepit: ita dum oculos iustorum Dominus felle tribulationis illinit, visum illis non corporis, sed mèris restituit. Perfecti sunt: fateor, ea perfectione imperfecti, quæ cum huius vitæ puerilitate non pugnat, at possunt magis perfici, & magis in virtute proficere; eos autem dolor perficit, & tribulatio infesta purificat. Quoniam in igne probatur, hoc est, purificatur, aurù & argentù: homines verò acceptabiles est, quàm aliquod experimentum suæ habere virtutis, quo coniectentur, an Deo placeant, an verò sub ouina pelle sint lupi, & ei, qui scrutatur corda, displiceant. Nec vult Deus sanctos suos hoc virtutis experimento carere, quod tribulatio æquanimiter acceptata suppeditat. Quare à Domino dictù est Abraham: Nunc cognoui, id est, cognoscere te feci, quòd timeas Dominum, & quòd tanta est fidelitas tua, vt non peperceris filio tuo propter me.] Perfecti tribulationibus vniuersas virtutes exercent, & veluti naui prospèto vèto, sic illi aura afflictionis impulsù pelagus vitæ spiritualis enauiant, & itinera studiosarù actionù conficiunt. Afflicti nouum robur acquirunt, vt aduersarios sanctitatis euertant, sicut milites, qui vno hoste superato, reliquos animosiùs aggrediuntur, & facilius sibi subiiciunt. Percutit illos Dominus, sed in carnis percussione, vt immanis fera onere tribulationis edomira, nec in hominem interiorè rebellet, nec illum à sua dignitate deiiciat.

Hæc quidem ad astruendâ vtilitatem tribulationis abundè sufficerent. Sed sanctus Pater Chrysofostomus alias est causas meditatus, & sanè verissimas propter quas Deus perfectos affligit. Has ille latissimè exposuit, & stylus noster, ne prolixi simus, ad pauca verba restringer. Tribulat Dominus viros perfectos primò quidem, ne ex meritis extollantur, & de adepta sanctitate superbiant. Ideòque vnus illorum ait: Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discas iustificationes tuas. Et alius: Ne magnitudo reuelationù extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizat.] Deinde, ne alij homines, si viderent sanctos omnibus flagellis exèptos, maiorè quàm par est de ipsi opinionem conciperent. Nam & barbari Melitenses aspicientes viperam de manu Pauli pendentem, eù homicidam putauerunt, què Lycæonij, conspecto miraculo, Deum existimarunt. Signù ergo naturæ humanæ imbecillitatè textit, quâ afflictio propalauit. Præterea in his sanctorù tribulationibus mirificè Dei virtus apparet, dū per ægrotantes, & cõpeditos & principibus sæculi inuisos vniuersù mundum exuperat, & doctrinam Euangelij in cordibus peccatorum seminat, & virtutè adauget. Quod Dominus indicauit, dicens Paulo: Quoniã virtus in infirmitate perficitur: id est, mea virtus atque potentia in tua infirmitate & vilitate, perfecta ostenditur. Ingeat namque est robotis & potestatis indicij, ducè, nouis & infirmis militibus, veteranos, & fortes milites aduersarij superare. Rursus in his sanctorum molestiis, tum eorum patientia, tum perfectus erga Deum

Psal. 15.
Tobia. 11.
Eccle. 1.
Gene. 22.
Chrysof. hom. 1. ad populum.
Psa. 118.
2. Cor. 12.
Act. 28.
2. Cor. 12.



amor elucet; patientia, quia mala irruentia non tristes non indignabundi, sed alacres, & m̄sueti sustinent. amor verò perfectus, quia non propter mercedem seruire, sed propter ipsius Dei bonitatem famulari, se iactant. At que adeo, si diabolus dixerit: Nūquid Iob frustra timet Deum? & absque mercede est vir simplex, & rectus & timens Deum, & recedens à malo? Respondet Iob: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Iterum Dominus, qui omnium est prouidus Pater, his iustorum aduersitatibus, peccatoribus, & nihil nisi visibilia sapientes, ad cogitandū resurrectionem exsuscitet, dū aspiciunt illos in vita presentī nequaquam rectē gestorum pr̄m̄ium accipere. In quo videt illud impleri: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Ad hæc, eisdem infirmis hominibus cōsulit Deus in sanctorum malis vt si in grauiā, & calamitosa inciderint, cōsolationē habeant. Vnde Iacobus ait: Exemplum accipite fratres laboris, & patientiæ, prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini Ecce beatificamus eos, qui sustinerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. Item sancti in labores conuincuntur, atque pericula; vt cum alios ad ipsorum imitationem exhortamur, sciant se non ad Angelorum, sed ad hominum fragilium imitationem hortari, qui cum Apostolo dicunt: Vsq̄ in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cœdimur, & instabiles sumus, & laboramus operātes manibus nostris. Maledicimur; & benedicimus: persecutionē patimur; & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus tāquā purgamenta huius mundi facti sumus omnium perisema vsque adhuc. Hos peccatoribus in exemplum proponimus, qui non alterius naturæ, sed alterius virtutis fuerunt, & in medijs flagellis innocentiam cōseruauerunt. Insuper ex sanctorum molestiis discimus, quos miseros & quos beatos putare debeamus. Stulti namque beatum dixerunt populum, cui prosperitas ardet, cui temporalia suppetunt: at nos (& non desipimus) beatum existimamus populum cum Davide, cuius Dominus Deus eius, licet aduersa patitur, & calamitosa sustineat. Tādē, perfectos tribulationibus impetit Deus, vt illis pulchriora immortalitatis ferta componat, & ob maiora merita, etiam cumulum pr̄m̄iorum adaugeat: quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Tribulantur igitur, & flagellantur, quia ita oportet omnino, viri perfecti, sed simul à flagellis & tribulationibus liberantur: adeo, vt verissimè in illos quadret versiculus suprā dictus: Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Sed quonam modo si perfecti tribulationes patiuntur, flagellum tabernaculis, hoc est, corporibus ipsorum, non appropriat, quæ liuida ictibus, & lacerata flagellis existunt? Id sanè Scripturæ clamant, quibus inconcussa fides habenda est: illis autem reuerenter auditis, & simpliciter creditis, modum, quo verū sit, quod dicunt, humilis cōsideratio propalabit. Dominus quidem sanctos à flagello defendit, & ne tribulationes illos tangant manifestè iubet. Nolite tangere Ch̄stos meos, inquit, & in prophetis meis nolite malignari; Ch̄stos suos oleo abundantis gratiæ inunctos vocans, & prophetas suos, verbum Euangeliij non sermone solo, sed exemplo, & vita prædicantes appellans. Sapiētia quoque dicit: Iustorum animæ in manu Dei sunt. Quis autem in tali loco positos, & custoditos illos offendet. Certè non tanget illos tormentum mortis. Vfi

Iob 1.

Iob 13.

Matth. 5.

Iacob. 5.

1. Cor. 4.

Psal. 143.

Rom. 8.

Psal. 90.

Psal. 104

Sapient.

sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. De tribus etiam pueris Hebræis in fornacem ignis coniectis, & voraci flamma circumdatis legimus, quia non tetigit eos omnino ignis, neq; contriuit, nec quicquam molestiæ intulit. Qui licet secundum historiæ veritatem ita ab igne liberati sunt, tamen imagines fuere iustorum, quos caminus tribulationis nō t̄git, nec ignis afflictionis adurit. At Saluator noster per Zachariam ait: Post gloriam, meam scilicet resurrectionis, misit me Pater ad gentes, quæ spoliauerūt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillā oculi mei. Quod ego ita intelligo, vt sicut impossibile est cuiq; aduersario pupillam Domini oculi tangere, ita feri non potest, vt absque Domini voluntate iustos, vel leuiter flagello contingat. Demum Ioannes, in quo spiritus Christi loquebatur, ait: Scimus, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei, id est, ea natiuitas, qua ex Deo natus est, conseruat eum, & malignus non tangit eum. Ex his, quæ ex saceris paginis vtriusque testamenti retulimus, liquet, iustos & perfectos viros tribulationibus cōteri, liquet etiam tribulationibus non contingi, quo verò pacto hæc duo, quæ contrarij videntur, sibi consent, nūc breuiter aperiamus.

Stet ergo fixa in cordibus nostris veritas Davidici carminis, qua viro iusto dictum est: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Non accedit ad viros perfectos tribulationis malum, quod licet corpus exerceat, mentem tamen in pace & tranquillitate positam non conturbat. Id verò in libris Regum sub typo Sennacheribi Regis Assyriorum figuratum videmus, qui cum ascendisset in terram Iuda, & cepisset omnes ciuitates munitas, Ierosolymam tamen ciuitatem magni Regis uec obtinuit, nec militibus cinxit, nec oculis conspexit. Vnde ait vaticinans Isaias: Propterea hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum. Nō intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mitter in circuitu eius aggerem. Ita prorsus, licet aliquando vis doloris membra sanctorum occupet, manus liget, sensus cruciet, & cor ipsum carneum veluti laqueo, & vinculis capiat, at mentem, quæ Deum fide viuā conspicit, quæ brachijs dilectionis astringit, non obtinet, quia semper eam diuinæ voluntati conformem, & liberam, & alacrem derelinquit. Nō accedit ad illos malum, quoniam protectio Domini circumdat eos, vt ex irruentibus malis detrimētum profectus interioris non sentiant, sed mirum in modum in virtute proficiant. Factus est enim Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Pauper iste iustus est, qui de seipso modestè, & humiliter sentit. Quare Augustinus rectè ait: Quantumlibet persequitur inimicus ille, qui conuersus est retrò, quid nocebit eis, quorum refugium factus est Dominus. Sed hoc fiet, si in seculo, cuius ille magistratus est, pauperes esse delegerint nihil amando, quod vel hic viuētem, vel amantem deserit, vel à moriente deseritur. Tali enim pauperi refugium factus est Dominus. Hęc verò turissima, & fortissima protectio munitus non mirū si in mente ex tribulationibus tamquam ex victoriæ occasione profectum capiat, quamuis in corpore non nullum dolorem accipiat. Quod regius vates ex sententia Bernardi subindicauit, cū huic diuinæ protectioni scuti nomen imposuit, dicens: Scuto circumdabit te veritas eius. Nam sicut scutum corpus protegit, & pedes non adeo tegit, ita diuina protectio interdum iustorum corpora nonnullæ læsioni exponit, sed mentem semper ab omni malo defendit. Nō credo erit molestum verba huius sancti doctoris au-

Daniel 3.

Zachar. 2.

1. Ioan. 5.

Psal. 90.

4. Reg. 18.

Isai. 37.

Psal. 9.

Aug. ibid.

Psal. 90.

Bern. ser. 5. in Psal. qui habet. 104.

dit e.

dire. Non incongruè sanè, inquit, scuto comparatur gratia diuinæ protectionis, quod in superiori parte amplum, & latum est, vt caput humerisque custodiat, in inferiori verò strictius, vt minùs oneret: maximè quòd graciliores sùnt tibiæ, nec tam facillè vulnerentur, sed nec adeò periculosum sit illis in partibus vulnerari. Sic omnino, sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est, carnem, magnam (vt ita dicam) strictitatem, atque penuriam rerum temporalium donat, nec vult eos illarum multitudine prægruari: sed vt victum, & vestitum habentes, quemadmodum ait Apostolus, his contenti simus.]

1. Tim. 6.

Matt. 16.

Basil. c. 1.
in Pf. 33.

In superioribus verò ampliorem latitudinem, & abundantiam gratiæ spiritualis. Sic enim habet: Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia adicientur vobis.] Quis itaque dicat vitos iustos malo afflictionis concuri, quos respicit afflictionibus à rerum temporalium onere liberari, & quasi medicamentis adhibitis non solum ad sanitatem reduci, sed etiam vegetiores & robustiores effici? Profectò cum tribulantur, non accedit ad illos malum, sed potius bonum appropriat, quia id, quod ipsos decet, & quod statui eorum congruit, laboribus & tribulationibus appropinquat. Optimè namque scribit Basilus: Qui dixerit, quod virum planè iustum tribulatio non deceat, nihil aliud dicit, quam athletæ non conuenit aduersarium. Si autem athletis bonum est impeti, & aduersariis impugnari, modò nõ expugnentur, quare non erit bonum viris perfectis, flagellis, & doloribus tribulari, modò impatientia, aut pusillanimitate non superentur. Non ergo accedit ad illos malum si accedat aliqua tribulatio, ex qua tot merita, tot coronas, tot premia reportant.

Iob 19.

At nondum dissoluimus nodum. Esto enim, quòd ad sanctorum animas non accedat culpæ, aut pœnæ malum, quomodo verum est, flagellum non appropinquare tabernaculis, id est, corporibus, eorù? Nam si flagellum (vt diximus) corpora eorum cruciat, & sanguinem elicit, & vibices inficit, quamam ratione non tangit ipsorum corpora, & ad tabernacula percussorum non appropinquat? Ideo flagellum non appropinquat tabernaculis eorum, quia dum flagellatur, manus Domini illos tangit, & benignitas illos amatoris fidelissimi percutit. Quæ non flagellum, sed malagma dicenda est, siquidem dum ferit, sanat: & (veluti sapiens medicatrix) dum vulnus aperit, curationem ipsius faciliorem reddit. Hoc (vt opinor) Iob patientissimus cogitabat, cum amicos suos inuitans ad commiserationem, dicebat: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.] Non dicit se flagello, sed manu Domini tangi, non virga, sed manu Omnipotentis castigari, vt intelligas viros perfectos nõ flagello instar seruatorum, sed instar filiorum manu patris benignissimi percuti. Atque adeò cum persecutionem patiuntur, non tam flagellum quàm manus Domini eorum tabernaculis appropinquat. Quæ cum vitalis sit, & solo tactu sanat, atque viuificet, ita electos ferit, vt non ad mortem, sed ad vitam; non ad morbum, sed ad salutem vulneret, atque percutiat. Si quis manu chirothecæ contacta alterum feriat, chirothecæ nullam rationem habemus, & manus percussione tribuimus. Ita si Dominus sanctos ad bonum ipsorum manu sua ferit, sub inuolucro aduersitatis abscondita, non aduersitatis, sed manus Domini vulnus eorum tribuamus: nec ipsi dicant, quoniam aduersitas vulnerauit, aut flagellum appropinquauit, sed quoniam manus Domini tetigit nos. Sed manus Domini aduersitate iustos tangit, & facto flagello ex tribulationibus, eo ipsos percutit: Ergo flagellum aduersitatis tabernaculis eorum

A appropriat, quos manu Domini eleuatum cædit: Verum est hoc, sed non negabunt perfecti Domino, quod nos chirurgo concedimus, cui, si cautè & subtiliter vlcus subaperiat, & sine dolore nostro sanè educat, gratulabundi solemus dicere: Non sensi, non ad me accessisti, ferrum tuum non tetigit me, ignis tuus non vllit me. An manus Domini non erit ad electos suos manu chirurgi suauior? an non lenior? an non, quos tenerrimè diligit, mitius feriet, & suauius flagellabit, ita vt præ amore vix sentiant, præ suauitate, qua statim aut liberantur, aut roborantur, vix aduertant, & præ dulcedine præcordiis eorù iniecta dicant, flagellum nõ appropinquauit tabernaculo nostro, & virga non tetigit nos? Audi quemdam sanctorum amore ebrium, qui tribulationes, & pressuras non sentiat. Repletus, inquit, sum cõsolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.] Et iterum: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius cõsolationis, qui cõsolatur nos in omni tribulatione nostra; vt possimus & ipsi cõsolari eos, qui in omni pressura sunt.]

2. Cor. 7.
1. Cor. 1.

B O magnum amorem eius, qui tribulatus cõsolatione non indiget, sed adeò cõsolatione & gaudio repletus est, vt possit in pusillos, qui modica patiuntur, & statim despondent animum, cõsolationem effunderet! Audi perfectos, quia mox liberantur vix afflictiones considerantes: Exquisiui Dominum, ait quilibet eorum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.] Et, iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.] Et omnes simul: Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.] O propera liberatio, quæ desiderium iustorum sequitur, quæ petitionem comitatur, quæ si è vestigio non adest, non ad desperationem tribulati, sed ad eius bonũ differtur. Sicut enim infanti aliquando mater laruam iubet ostendi, non vt ei damnum inferat, sed vt infans ad gremium matris accurrat: ita Dominus solet dilectis suis tribulationes, velut laruas immittere, vt stupefacti feruentius orent, confidentius postulent, & eius prouidentie tutius se committant. Audi denique sanctos præ dulcedine confitentes, quia flagellum illos nõ tangit: Nam etsi ambulauero in medio vmbre mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.] & Virga tua & baculus tuus ipsa me cõsolata sunt.] Quanta putas cordi eius est iniecta dulcedo, qui in medijs periculis nihil timet, licet mortem minitentur, & virga castigationis, ac baculo tribulationis misericordè cõsolatur! Verè iste dicet flagellũ non appropinquauit tabernaculo meo, & non crudelis gladius, sed suauissima manus Domini tetigit me.

Psal. 33.

Psal. 33.

Psal. 33.

C Perfecti itaque flagellati sunt, vt membra potiora, & selectiora Christi, à capite spinis coronato non dissentiant, vt robustiores milites ducis sui labores experiantur, & vt prouectiores discipuli magistrum imitentur, ac flagellum non appropinquat tabernaculo eorum, quoniam si aduersus eos efferatur, statim manu Domini protegentur. Nõne Isaac tribulatus est, & imperio Domini periculo mortis expositus? Ita sanè. Sed gladius non appropinquauit tabernaculo eius, quia priusquam gladius in collam eius descenderet, Angelus ex ore Domini clamauit, brachium patris obedientissimi tenuit, & à facinore miro prohibuit. Id ipsum cum viris perfectis agitur, quos Dominus ita tribulat, vt ab imminente gladio defendat, & ita castigat, vt in manibus hostium suorum non derelinquat. Nam & David canit, Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius querens panem.]

Psal. 22.

Gen. 22.

Psal. 36.

D E

Si iustus numquam à Domino derelinquitur, nec à refugio suæ protectionis excluditur, quomodo eum flagellum tanget, quem diuinum munimen abscondit? Non dereliquit ille, qui auditor est in opportunitatibus, innocentem Iob, quem in Angelorum concilio laudauit, & cui omnia, quæ dæmon abstulerat, duplicata restituit. Et addidit Dominus, ait, omnia quæcumque fuerant Iob, duplicata. Non reliquit Dauidem, cui regnum amplissimum donauit, & imperij sui pulsum finibus, in pristinum statum reuocauit. Non reliquit Iacob, quem per desertum errantem sustentauit, & angelos ei ascenderes & descendentes ostendit. Non reliquit Eliam, qui in cælum est raptus, nec mendicitati, quæ ipsum cruciaret, datus est ille, qui, ut inquit Ambrosius, geminatam spiritus hæreditatem discipulo dereliquit, ut vna melior hæres donatus, fluuios sisteret, Iordanem reuocaret in fontem, regum exercitus pasceret in deserto, & potum sitientibus ministraret. Ad eius arbitrium de cælo profluebant pocula, in terris mortui resurgebant. Non reliquit Eliseum, qui Angelos meruit habere custodes ipso, proclamante ad ministrum suum, quia plures nobiscum sunt, quam cum illis. Non reliquit Danielem, quem ab immanitate leonum eripuit, & cui cibum miraculosè administrauit. Non reliquit Susannam, cuius pudicitia à violentis oppressoribus, & famâ à falsis iudicibus liberauit. Non reliquit Paulum, qui innumerabilibus periculis impetitus ait: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus igitur non relinquit iustos, viros sanctos, & sibi fideles non deserit, sed iuuat, sed protegit, sed abscondit, ut flagellum tribulationis illos non tangat, dum non ad vulnus eorum, sed ad salutem, & ad augendam sanctitatem appropinquat. Et flagellum non est, quod sanctitatis, & consolationis, & tantorum bonorum origo est. Quid plura? Quosdam sanctorum communibus tribulationibus eximit Deus, sicut Israëlitas in Aegypto, à plagis Aegyptiorum exemit, & à tantis malis vniuersum illud regnum populantibus liberauit. Alios, licet mala communia famis, aut morbi, aut bellorum sustineant, suauissimè consolatur, & propter illorum orationes calamitatibus sine imponit. Alios (ut Fælicem Nolanum araneorum telis) rebus fragilissimis ab impetu hostium abscondit. Alios (ut innumerabiles martyres) ab immanitate tormentorum eripit. Alios, ne dolores, & cruciatus sentiant, occulta quadam ratione sensu doloris priuat. Alios in medijs cruciatibus, in exilijs, & alijs tribulationibus consummari permittit, ut hanc eximiam gloriam assequantur, quod per ignem, & aquam transierunt, & ad æternum refrigerium properarunt. Tandem si nonnumquam Deus inter iustorum pericula abscondit faciem suam, & quasi ab interiori habitaculo eorum seipsum elongat, & illos veluti solos, & omni ope destitutos pati sinit, id facit, ut diuinam protectionem sibi necessariam sciant, & liberationem ab omnium conditore venire cognoscant. Sapienter enim dixit Gregorius: Protectio diuina minus necessaria creditur, si semper habeatur: sed vt iliter plerumque subtrahitur, vt sibi met homo, quam sine illa nihil sit, ostendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per aduersa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat. Quæ destituti dum cadere incipimus, & tamen adiuti retinemur, & doctrina fit, quod in lapsu trepidamus, & custodia, quod in statu permanemus. Si igitur flagellum est, quod ad pœnam malefactorum intentum est, viris perfectis flagellum nõ appropriat, quia non vt malefactores tribulantur, sed vt serui fideles probantur, & vt strenui milites exerceantur. Hi tentationibus crescunt, periculis roborantur, perfe-

ctionibus exaltantur, & doloribus ac afflictionibus examinati, puriores ab omni face imperfectionum efficiuntur. Qui verò pretiosum & desiderabile existimant, in rebus aduersis à Deo protegi, & à sanctis Angelis defendi, quibus mandatum est, ut animas puras custodiant in omnibus vijs suis: qui magnū & excelsum iudicant, tribulationes non impatienter, sed æquanimiter sustinere, imò & alacriter tolerare, ac earum molestiam vix præ amore & abundantia consolationis sentire, nec non laborum perfectione omni virtutum genere mirabiliter crescere; perfectam virtutem sectentur, & animæ puritatem enixè quarant. His enim promissum est in æstu vmbraculum, in labore refrigerium, & in tribulatione solatium. Nam & viro perfecto dicitur, si alicui dicitur: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutarem meum.]

Quanta benignitate Dominus perfectorum orationes exaudiat.

CAPVT XXX.

ICET viri perfecti sint planè diuites, & cælestibus bonis abundent, tamen quia dum vitæ mortali tributa persolunt, non in manente ciuitate, quam inquirunt, sed in exilio, & in loco horroris, & vastæ solitudinis commorantur, semper habent quod postulent, quod etiam desiderent. Si enim Ionathas filius magni regis, & abundans magnitudine diuitiarum in deserto positus incediam patitur, & modica fani mellis particula indiget, quia oculi eius præ fame caligantes illuminentur: quid mirum si viri perfecti, licet sint Filij Dei, quamdiu hanc incultam mundi solitudinem habitant, multis rebus egeant, quibus & corporis imbecillitati, & animæ infirmitati consulere debeant? Sed ò terque quaterque beati, quibus ex hac miseria & necessitate aliud incomparabile bonum exoritur, illud autem est, quod si orant exaudiuntur, & quicquid petant, suo tempore ad votum recipiunt. Peccatoribus sæpissimè Dominus in sacris literis comminatur, se non exauditorum orationes eorum, & id quidem iuste, quis namque hostium suorum, ea ratione, qua hostes sunt, deprecationes, & vota suscipiat? Per Salomonem ait: Qui declinat aures suas ne audiat legem, id est, ne vitam suam legis præceptis accommodet, oratio eius erit execrabilis. Quid est, erit execrabilis: nisi erit iniusta, & ingrata Deo, quam ob iniquitatem postulantis audire reuert. Vehementius autem inquit per os Isaia: Cum extenderis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, nõ exaudiam: manus enim vestre sanguine plene sunt. Efficax perfectò ratio, & cui nulla tergiversatione satisfieri possit: Non exaudiam, quoniam manus peccatorum sanguine, id est, peccatis & iniquitatibus, plene sunt, quibus (quod ad se attinet) iterum Christi sanguinem fundunt. Egregiè enim dixit Basilus: Hæc causa est, cur Deus oculos auertere soleat, quando manus extendimus, nimirum quod indicia supplicationis occasionem iræ præbeant. Quemadmodum si quis interfecto filio alicuius, quem ille in oculis ferebat, adhuc cruore conspersas manus habens, extendat ipsas patri, etiam tunc stomachanti, petens in amicitiam, vt se recipiat, nõne sanguis filij qui in manu eius apparet, qui filio necem attulit, ad iram magis incitabit eum, cui iniuria data est. Si pater eius petitionem non audiet, cuius manus videt

Psal. 90.

Psal. 90.

1. Reg. 14.

Prou. 28.

Isaia 1.

Basil. ora.

2. de orat.

sanguine

Isaia 59.

Malac. 2.

1. Reg. 12.

3. Reg. 21.

2. Par. 33.

Ioann. 9.

Aug. 44. in Ioann.

Luc. 16.

languine sui filij pollutas; quo pacto Deus orationes iniquorum suscipiet, quos scit in legem suam esse prauaricatores, & in seipsum iniuriosos, & in sanguinem & merita filij vnigeniti sui crudeles existere? Hanc ergo rationem tamquam nulla hominum astutia solubilem, idem Propheta iterum repetit, dicens: Ecce non est abbreviata manus Domini, ut saluare nequeat, neque aggravata est auris eius, ut non exaudiat. Sed iniquitates vestrae diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestrae polluta sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.] Ingens quidem calamitas est a Deo non exaudiri, sed multo maior peccatorum orationibus a Deo maledici, quam in eos severissima Dei iustitia retorquet. Quae per Malachiam ait: Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.] Ac si homo diues medico stipem efflagitanti non solum elemosynam denegaret, sed etiam districto gladio a se fugaret, & contumelias, ac maledictis impereret: Ita Deus cum iniquis se gerit, quos inuerecundè rogantes, & procaciter postulantes, cum indignatione a se repellit. Et reuera pauperem a diuite non sine contumeliis abiici, probosum est, sed a Deo impium derelinqui, miserimum. Pauper enim ab vno diuite reiectus, alius, qui sibi subueniat, & opè ferat, inueniet; at impius a Deo cum indignatione pulsus, alium Deum non reperiret, suam indigentiam prouisorum, aut suam iniquitatem placatum. Imò nec ex rebus creatis aliquid miseriam remedium accipiet, quae nihil nisi Deo donante donant, & nulli nisi Deo subueniente, subueniunt. Sed demus, creaturas, Deo repugnante, posse hominibus aliquid opis afferre (quod impossibile est) infelix planè talis subuentio, & nihil utilitatis afferens, quam misera & indiga creatura donat, & nequaquam misericors, ac diues creator asseruat.

At fortè dicit aliquis his Scripturae verbis acribus & indignabundis Dei facta contradicere, qui saepe iniquorum preces orationesque suscepit. David quippe non iam sanctus, sed iniquus, adulterio sedatus, & sanguine innocentis conspersus, exauditus est. Qui ad vnam tantummodo vocem, peccauit, qua non expressit, sed quasi inuoluit suorum peccatorum indulgentiam petiit, statim sententiam absolutionis reportauit, qua dictum est illi: Dominus quoque transfudit peccatum tuum. Et impius Achab Eliae comminatione conterritus ieiunauit, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite, & sine dubio suum iudicem exorauit, quem statim placatum reddidit: Dixit enim Dominus. Quia humiliatus est Achab mei causa, non iudicam malum in diebus eius.] Ac tandem iniquissimus Manasses ob innumerabilia flagitia sua captiuus in Babylonem deportatus, & misera seruitute coangustatus, orauit Dominum Deum suum, & egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, & obsecrauit intente; & exaudiuit orationem eius.] Ideoque Augustinus illum caeci nati sermonem interpretans: Scimus quoniam Deus peccatores non exaudiuit: dictum egi, id est, minus sapientis, appellat, qui adhuc Dei misericordiam erga peccatores, & bonitatem ignorabat. Adhuc inunctis loquitur, inquit, nam & peccatores exaudit Deus: Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens, & peccatum suum percutiens, diceret: Deus propitius esto mihi peccatori.] Et ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste caecus illumina-

A rionem.] Hac facta Dei, quae retulimus, nullo modo sacrarum literarum verbis repugnant, sed quo pacto sint intelligenda demonstrant. Audit enim Dominus aliquando peccatores sibi ipsi veniam eratorum penitentes, & misericordiam postulantes, sicut solet rex perduellem ad obedientiam conuersum, & palinodiam recantantem, mitius punire, & ei criminis laesa Maiestatem nonnullam indulgentiam controgare. Audit illos, non quia ipsorum merita id exigant, non quia ad veniam accipiendam dignitatem habeant, non quia (quod ad ipsos spectat) aliquid congruum afferant, quo exaudiri mereantur, sed quia Dei misericordia tanta est, ut propter seipsum & ob suam ingentiam bonitatem velit eis proflus indignis, & immeritis indulgere, & remedia poenitentiae ac contritionis elargiri. At peccatores non necessaria ad propriam salutem petentes, sed bona alia, aut sibi, aut aliis postulantes, Deus ut homines procaces, & quibus frontes meretricum factae sunt, nec audit, nec respicit, nec admittit, imò a se reiecit atque contemnit. Hoc est enim quod Gregorius ait: Saepè Deus eius precem in oratione deserit, qui praeccepta eius in tranquillitate despicit. Sanctos etiam in afflictione adiutores non habet, qui habere socios in hilaritate contemnit. Merito autem isti talia postulantes reiciuntur, quia licet sacrificium orationis per se bene oleat, ipsi tamen offerentes foetent. Et iniuria Dei est, hostem eius, & suorum praecceptorum transgressorem, ante factam poenitentiam, & indulgentiam acceptam, beneficia concedenda amicis petere, & mediatoris personam inducentem, aliis dona postulare. Peccatores igitur, cum orant non exaudiuntur, quia exauditione & misericordia Domini sunt proflus indigni, nisi fortè Dominus naturali benignitate illectus, velit illis sibi imerpis indulgentiam delictorum petentibus, veniam concedere, & ne pereant, necessaria ad vitam, siue spiritua-

lem, siue temporalem tribuere. Iustos verò & praecipue viros perfectos, & sanctitatis amatores exaudit Dominus libentissimè, quorum orationes, siue sibi ipsi, siue aliis bona petant, hilariter suscipit, gratanter admittit, & supra id quod postulant, imò & quod cupiunt, (parum est hoc) imò & supra id quod cogitant, illis aut aliis propter illos, dona concedit. Qui sanè in deserto huius mundi constituti, orationem suam habent pro vita; desiderium pro victu, atque vestitu, vocè animi pro deliciis, quia sola voce ac deprecatione, quicquid ad necessitatem, & ad voluptatem necessarium est, abundantissimè consequuntur. Est enim mandatum Domini, quo homines ad beneficentiam incitauit: Ne dicas amico tuo, vade, & reuere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.] Cuius mandati in seipso nobis formam exhibet, cum amicissimos suos, nimirum viros perfectos, eius pedibus ad aliquid postulandum pronolutos, nullatenus vacuos dimittit, sed plenos bonorum, quae petunt, & latos, ac exultantes apud se detinet. Quod in Anna Samuelis matre, & in Sara vxore iunioris Tobiae, & in Iuditha Bethuliae liberatrice facile aduertimus: quorum altera sterilis ad templum oratura venit, & fecunda, & tanti filij futura mater abiit: altera, infamiam interemptricis virorum abiicit; tertia verò, oratione magis quam gladio roborata Holofernem occidit, Assyriorum exercitum confudit, & suum populum liberauit. O quam aptè in persona Domini videtur, quod sanctus Iob de seipso testatur: Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduae expectare feci.] Dum enim pauperum nomine humiles intelliguntur, ut putat Gregorius, quis non videt, Dominum, pauperibus & humilibus, Annae & Sarae, quod volebant, non

Gregor. 5. mor. c. 30.

Prou. 3.

1. Reg. 1. Tobia 8. Iudith. 3.

Iob 31.

Greg. 21. mor. c. 21.



Eccle. 35.

negasse, quarum alteram matrem, alteram vxorem fecit, & oculos viduæ Iudithæ non contristasse, quam ab omni peccati colluione seruauit, & in eximiam liberatrici dignitatem euexit: De hac iustorum oratione, in Ecclesiastico scriptum est: Oratio humiliantis se cælos penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur; & non discedet, donec Altissimus aspiciat. Iustus enim est, qui se verè & perfectè deiecit, & coram Domino vehementer humiliat, cuius oratio præ socordia nõ humi repit, sed omnia visibilia, & inuisibilia transcendens Altissimi solum peruadit. Ibi autem non quiescit, & petere non desistit, quousque optata secum deferat, & pro voto omnia recipiat. Nec indiget talis oratio multo labore ad obtinendum, quod cupit, quia Dominus, qui tenerrimè iustos præfertim perfectos diligit, valdè pronus est ad donandum illis, quod se inspirante cupuerunt, & se impellente flagitarunt. Fac inter regem, & reginam conuenite, vt ipsa donum aliquod aulico dandum, à rege petet, quo rex dandi occasione capter. Quis ambiget hanc petitionem sponsæ charissimæ regi esse gratam, & aulico futuram esse proficuâ, quam ipse princeps sibi fieri præcepit? Ita Dominus animas sanctas, velut sponsas sibi charissimas instigat ad petendum, & dicit illis in corde: Petite, & accipietis;] ex quo nos intelligimus eorum postulationes tum Domino esse gratissimas, tum iis, quibus petitur aliquid, non futuras esse inanes, sed viles atque proficuas.

Luc. 21.

Vt autem Dominus astruat, suæ voluntatis esse petitionibus sanctorum ad dandum in citari, eos magnificis promissionibus, & apertissimis vtriusque paginæ sententiis ad postulandum animar. Quamobrem per Ioannem ait: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque voueritis, petetis, & fiet vobis.] Tunc dicenda sunt verba eius in nobis manere, ait Augustinus, quando facimus, quæ præcepit, & diligimus quæ promisit. Quando autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice.] Iusti ergo sunt, in quorum cordibus verba Christi manent, ex quibus tamquam ex sedibus, aut ex prædiis munitissimis verba Euangelij progrediuntur, vt non solum os ad confitendam fidem occupent, sed etiam manus ad iussa implenda sibi subdant. Horum verò mandatorum obseruatione in Christo manent, tamquam palmites in vite, & rami pulcherrimi in sua radice. His dicitur, vt petant quicquid velint, quia certissimè consequentur. Qua promissione nihil potest esse felicius, nihil etiam largius, atque profusius. Nihil felicius: quia quid amplius homo optare potest, quàm vt sua voluntas, & sua postulatio sit eorum, quæ adeptus est, bonorum mensura? Et nihil liberalius, quoniam quid amplius homo potuit cogitare, quàm vt quicquid auxilio diuino sultus petierit, id totum sibi concedatur. Ideo autem hæc promissio tam ampla iusto fit, quia iusti, vt eodem loco dixit idem Augustinus, manendo in Christo, quid velle possunt, nisi quod conuenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod non est alienum à salute? Ipsi itaque cauti sunt in petendo, quia id petunt, quod Domino placiturum iudicant, & Dominus largus in dando, quia tribuit illis, quod congruum est, nec alienum à postulantium salute.] Eandem promissionem fecerat Dominus per Isaiam: Tunc ait, inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicit, Ecce adsum.] Quid est tunc, nisi, cum prædicta virtutis officia compleuerit, oratione clamabis ad me, & ego nõ surdus, nec morosus adiutor factus, sed diligens, & velox prote-

August. tract. 8. in Ioan.

Isa. 58.

ctor effectus, statim a stabo tibi, & quicquid postulaueris, ipse patrabo? Hanc celerè Domini obeditionem (si ita loqui fas est) qua petitionibus iustorum obtemperat, Ecclesiasticus quoque expressit, dicens: Oculi Domini ad timètes eum, & ipse agnoscit omnè operam hominis.] Sicut enim seruus fidelis, & sui heri obsequiis addictus, oculos non solum in os eius, sed etiam in manus intètos habet, vt sine mora, aut dictis heri, aut signis obediat, ita Dominus (quod certè stupendum est) verba, & opera non maioris, nõ æqualis, sed minimi serui sui, sed cõtemptibilis mancipij considerat, vt quicquid ipse, aut verbo petierit, aut operis alicuius, vt ieiunij, aut mortificationis oblatione postulauerit, breuissimè cõpletum videat. An non istud est, quod Regius Propheta cantauit: Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum?] Ita quidem. Si enim orationem ad os; & precè, & ad manus referas. quibus in cælum protensis orare solemus, videbis Dominum respicere ad orationem humilium, dum eam complet, & non despiciere precè iustorum, dum ipse quasi sanctis operibus victus, res postulas indulget. A petitijs autem alio loco eandem Domini largitatè erga iustos declarauit. Propè est, inquit, Dominus omnibus inuocantibus eum; omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentiu se, faciet, & deprecationè eorū exaudiet, & saluos faciet eos.] Nam si non lógè abest Dominus ab iis, qui verè eius auxilium implorant, profectò dicit illis: Ecce adsum. Et si voluntatem se timètijs amore filiali, qui à vera charitate procedit, largissimè exequitur, sanè cognoscit, id est, approbat omnè operam hominis iusti, cuius deprecationem non respuit. Tandem huic orationi iustorum, bonis operibus fultæ, idem propheta promittere beneficium exauditionis nõ cessat. Ait enim: In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis, nocte contra eum, & non sum deceptus.] Est ac si diceret. In vita ista, quæ miseris repleta est, & ideo dies non lætitiæ, sed tribulationis vocatur, & in nocte huius sæculi, quam non sol claritatis æternæ, sed luna fidei parum illuminat, Deum tum ore, tum manibus, id est, sanctis actionibus exorauit: nec sum meo desiderio, ac meo labore frustratus, quia quod volebam tenui, quod optabam accepi, & quod postulabam obtinui. Roborat igitur Dominus ad petendum sanctos suos, & in Scripturis sanctis à cordibus eorum omnem hæsitacionem abigit, vt pro se, & pro alijs fiducialiter orent, & vt familiarissimè sibi ipsis, quod petierint, acquirant, & vt fideles intercessores alijs, quod postulauerint, obtineant.

Eccle. 15.

Psal. 107.

Psal. 144.

Psal. 76.

Lógum esset, imò penè infinitu, hanc perfectorum dignitatè, qua ad petendum & accipiendum magni regis solium adeunt, velle exemplis confirmare; nulla est enim vita sanctoru, (sunt verò illæ penè innumerabiles) in qua aliquid ad hanc rem pertinens, non inuenias. Sed innumerabilium paucissima exempla deligenda sunt, quæ aliquatenus hunc locum illustrent, Basilius colloquiũ sancti Ephræm monachi insignis affectans, neque eo perfrui valens, quod ipse linguam Syram Ephremij, hic verò Baslij linguâ Græcâ ignoraret, rationem, qua se mutuò intelligerēt, à Domino postulauit. Ille autem misericors Pater, qui vota timentium se, irrita esse non patitur, Monacho Syro, & Græci idiomatis profus ignaro, repètè eius notionem & disertâ locutionè infudit. Et illi vna breuis precatiuicula sancti Doctoris plus Græcè eloquiæ attulit, quàm alijs longa annorum curricula cõferre poterūt. Quis Dei benignitatem non miretur, qui nõ iam pro totius Ecclesiæ vtilitate, sed pro vnus serui sui consolatione, peritiã ignotæ linguæ subitò ignaro concessit, & impedimentum sanctæ colloquutionis

Ambrosius in vita Basilij.

ademit?

Greg. Tu
venen. lib.
de gloria
confesso.
c. 27.

Greg. Pa-
pa. 3. Dia
lo. c. 9.

Ser. To. 1.
in vita
vini.

2. Cor.
12.

aduenerit Lupus Trecentis Episcopus civitatem suam ab Atila exercitu obsidione circumdata oratione liberat. Orauit ille primò, & suis ouibus præsidium à principe pastorum efflagitauit, & statim securus, & gaudens, non milites armauit, non socios suis auxilio tuturos euocauit, non mœnia communivit, sed hosti portas vrbs aperuit. Ille autem omni lupo truculentior, vna oratione Lupi conterritus, qui solo nomine lupus erat, te autem vera ouis mansuetissima, vrbs ingressus rectà quasi per solitudinem tràsit, & nihil hostiliter agens à Lupi ouibus sine earum detrimento secessit. O magna bonitas Dei, cuius sacrum peccus ita vnus perfecti oratio molliuit, vt propter illà multis peccatoribus parceret, & flagellum iræ suæ, ac baculū indignationis suæ longius ab eorum domibus ablegaret. Frigidianus Lucanæ ciuitatis Episcopus Aularem fluuium iuxta suæ vrbs muros influentem, & per agros effusum, ac semel & iterum sara vastantē, sola oratione ad alia loca deriuauit. Cùm enim cuius misericordia motus, quorum fluuius inundans sara vastabat, paruulum rastum fecisset, & ad aluū fluminis accessisset, totus se orationi dedit, & ad implorandam Dei clementiam vehementer incubuit. O mira reslab oratione confurgens, aquam velut creaturam rationis compotem alloquens, illi vt se sequeretur imperauit. Paruit illa præcepto hominis, qui Dominum exorauerat, & rastum ab illo per terram tractū sequuta, noua loca occupans proprium alueum festina deseruit, neque amplius agris, hominum vsui deputatis, intulit nocumentum. Quis hanc potestatem orationi dedit, nisi vera ac perfecta iustitia? qua deprecatio manans pectus diuinum placat, vt hæc mirabilia, ac naturam ipsam excedentia perficiat? Margarita virgo (ne fœminas in hac re hominibus pares, prætereamus) regia progenies, & Dominicanæ familiæ fides clarissimum, coram prælato, qui toti illi prouinciæ præerat, Danubij inundationem pronuntiās non creditur, & cùm esset veritatis amatrix, rubore suffusa, quòd mendax haberetur, Dominum precata est, vt de suis dictis testimoniū redderet. Statim autē Danubius iterum aquarū copias agglomerans, cœnobium occupat, officinas domus implet, & sorores, ac prælatum in fugam se dare compellit. Nescio quid magis mirer, aut efficaciam orationis talia impetrantis, an benignitatem Domini pro virgunculæ honore talia patrantis. Audiuntur ergo sancti, & admiranda precibus operantur, adeò vt quod natura negat, quod infirmitas non donat, oratio iusti ac intentissima deprecatio concedat.

Sed si hæc ita sunt, quare aliquando perfecti pro seipsis exorantes, non sunt exauditi, præsertim cùm petunt ab imminenti periculis liberari, aut ad aliqua dona in signiora prouehi, quibus se Deo gratiores fore coniciunt? Quòd enim Dominus non semper sanctos enixè supplicantes, à periculis & tribulationibus liberet, ex Pauli Apostoli deprecatione liquet, qui cùm ter Dominum rogasset à stimulo carnis eripi, exauditus non est, (vt ipse fateretur) nec id quod volebat consequutus. Quòd etiam ad optata dona, quæ instantè periurunt, non semper ascendunt, certius est quàm vt id dubitare liceat. Cùm enim sitis perfectionis eorum corda sollicitans sit inextinguibilis (vt supra meminì me dixisse) & donorum accessione non minuatur, sed crescat, quis credat eos omnem perfectionis gradum, quem cupiunt, & petunt, adipisci, & ad desideratam puritatem peruenire? Perfectos viros in tribulatione positos, & feruèdè pro sua liberatione clamantes, aliquando non statim liberari ingenuè fatemur, sed id ita fit, vt merita ipsorum augeantur, & præmia cu-

A mulentur. Nam & rex terrenus solet equitem sibi dilectissimum, aut etiam germanum fratrem, ad bellum contra hostes infestissimos mittere, & eum auidè cupientem, & importunè postulantem ad curiæ delicias reuerti, in loco periculoso detinere, vt in regno suo sit illustrior, & consensu omnium amplissimis honoribus dignior. Si hoc non odio, aut obliuioni, aut defectui amoris, sed magno regis amoris tribuimus, quo vult familiarem illum patricium non sine meritis ad nobilissimam dignitatem euehere; quis non videat, Dominum, perfectos in bello tentationis aut tribulationis detinere, nec statim eorum deprecationibus flecti, vt amplius eos possit honorare? Egregiè profectò Gregorius hanc istius tardæ liberationis causam assignat. Alto, inquit, consilio omnipotens Deus, cùm sancti eius aduersariorum persecutionibus comprimuntur, cùmque afflicti, vt liberètur, interpellationibus, clamant, disferre solet voces petentium, vt merita patientum crescant, quatenus eò magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. Vnde aliàs scriptum est: Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, & nocte; atque ipsa vtilitas de exaudiendi mora mox subditur, cùm illic protinus subinfertur: & non ad insipientiam mihi. Ad multiplicandam quippe sanctorum sapientiam proficit, quòd postulata tardè percipiunt, vt ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur. Intellectus verò cùm intenditur, eius in Deum ardentior affectus aperitur. Affectus autem ad promouenda cœlestia tantò fit capax, quanto fuerit expectando longanimis. Euenit ergo sanctis in hac vita, quod pueris solet accidere, qui cùm à præceptore flagellantur, vt discant, solent flagellorum ictus grauius ferre, & ne feriantur, humillimè supplicare, qui nequaquam postulare impetrant, non quia non amantur, sed quia vehementer dilectos oportet ad scientiam adipiscendam castigari. Ita omnino perfecti, qui quamdiu vita mortalis durat, statim pueritiæ non excefferunt, solent tribulati clamare, & ne amplius flagellentur, obnoxii deprecari. Dissimulat tamen Dominus, & adhuc extendit manus super eos, vt eam virtutem, quæ opus perfectum habet, scilicet patientiam, addiscant. Cùm autem ad perfectam ætatem venerint, & cœlestes mansiones occupauerint, facient quod infantes ad virilem ætatem prouecti, qui magnam scientiam, & amplissimam dignitatem adepti, præceptoribus suis ingentes gratias agunt, quòd flagellis, & alapis eos discere coegerunt, & sic ad adeptam dignitatem, & honorem exaltarunt. Sic perfecti facient in cœlo, qui amplissimam gloriam tribulationum & infirmitatum perpessione consecuti, Deum magnis laudibus celebrabunt, quia eos non exaudiuit ad votum, vt ad meritum & præmium exaudiret. O quanta mæris exultatione, qui iam vitam istam reliquerunt, in cœlo clamant: Transiimus per ignem, & aquam, Domine, & eduxisti nos in refrigerium, nec consolationem temporalem, quam petebamus, dedisti, vt æternam nobis concederes. Hanc nunc solam causam assignemus, ob quam aliquando Deus perfectos, sibi amantissimos, tribulationem patientes, non statim exaudit, sed pati ac castigari permittit.

Verum est etiam, perfectos viros, mensuram gratiæ, quam appetunt, non semper obtracere: quia decet diuinam prouidentiam in gratiæ distributione tenere mensuram, nec æquum est omnes iustos etiam ad magnam sanctitatem anhelantes, ad eundem puritatis gradum exaltari. Est enim cœlestis patria non acruus lapidum, sed respublica

Greg. 20.
mor. c. 22.

Psal. 21.

Jacob. 1

Psal. 65.

Apoc. 21.

Apoc. 21.

Matt. 25.

Bern. ser.
4. in Psal.
Qui habi-
tat.

Rom. 5.

Exod. 33.

Aug. 99.
in Exod.
9. 154. &
2. de Tri-
nit.

1. Reg. 7.

perfectissima, cuius proprium est, ut inæqualitatem civitum, & varios dignitatis gradus habeat. Ideoque vocatur civitas: & Ioannes inquit: Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de cælo. Et iterum, civitas in quadro posita est, & tãta est eius longitudo, quanta & latitudo: quia videlicet pro more civitatis debet diversitate graduum, dignitatumque constare. Illis itaque qui ad eximiam gloriam, verbi gratia, Apostolorum, aut Martyrum, aut Doctorum vocati, & electi non sunt, merito gratia huic gloriæ, aut statui debita denegatur, ut pro qualitate vocationis, pèsium auxiliorum divinatorum gratias recipiant. In quo Dominus non tantum suæ providentiæ consulit, sed etiam electorum infirmitati condescendit, ne supra quod imbecillitas carnis suffert, onerati, bonorum sibi datorum grauitati succumbant. Hinc dantur vni quinq; talenta, alij verò duo, alij verò vnum, & vnicuique secundum propriam virtutem, ne talentorum copia supra id, quod valet, prægrauatus, aliquid otiosum habeat, & regis talenta patientis indignationem incurrat. Quare Bernardus optimè ait: Quid est, quod incessanter orantes, & supplicantes, non possumus ad eam, quam desideramus, gratiæ abundantiam peruenire? Putatis, quia auarus, aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc; proflus absit; Sed ipse cognouit figmentum nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea cessandum est, quia etsi non dat ad fatietatem, dat tamen ad sustentationem: & si cauet nobis à seruire nimio, tamen fouet nos tamquam mater calore suo. Hoc enim est, quod diximus, sub scapulis eius nobis præstari, ut tamquam pulli in calore materni corporis foueamur, ne foris vagantes moriamur, refrigerescite nimirum charitate, quæ non diffunditur in nobis, nisi per Spiritum sanctum, qui datur nobis. Prospicit ergo Dominus sanctorum suorum infirmitati, dum vel eorum conatus impedit, vel orationibus abnuit, atque adeò siue concedat, quod orant, siue differat, siue omnino neget, cum id ob ipsorum bonum faciat, semper erga illos beneficus ac largus inuenitur. Ut verò huius eximij amoris significatione edat, si postulata non tribuit iusto, quia non expedit, at aliquid, quod decens & proficuum ei erit, amantissimè donat. Vnde Moyse postulanti; ostende mihi faciem tuam: respondit Dominus: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet. Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Quibus verbis, & aliud pretiosum donum loco doni postulati substituit, & illa suprema maiestas, quare serui fidelissimi petitioni non annuat, quasi rationem assignat. Faciem quidem diuinitatis meæ, ait, non videbis modò, quia lege sancitum est, ne quis in carne mortali degens, & adhuc viam carpens in viæ finem; scilicet in meam diuinam naturam, oculos mentis intendat suos. At ut aliquid assequaris, & visione meæ imaginis consoleris, posteriora mea, id est, hominè à filio meo nouissimis temporibus suscipiendum videbis. Ita Augustinus interpretatur, & simul creatoris nostri liberalitatem declarat, qui more boni patris filiis suis, si non omnia quæ cupiunt, elargitur, at veluti donum distribuens, & meliorem partem cælo reseruans, aliquid, quo eorum cupiditati satisfaciat, misericorditer tribuit. Nec tamen putandum est, desideria sanctorum effectu ac opere orbata fuisse inutilia, absit hoc. Sed vtilissima sunt, quæ licet actione frustrata, suo præmio, & quidem magno non carebunt. In cuius signum Dauid cupiens ædificare domum Domino, nec tamen ædificans, in mercedem sui desiderij audit: Prædicatque

tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus: id est, amplissima posteritate multiplicet. Cupiamus ergo perfecta, petamus magna, postulemus excelsa, quia (si veram iustitiam sectati fuerimus) nequaquam oratio nostra vacua in sinum nostrum reuertetur, sed prosperabitur & faciet, ad quæcunque miserimus illa.

Quantis donis Deus perfectos
repleat.

CAPVT XXXI.



OMINES perfectos, multa & magna orationibus impetrare, ex alio capite percipi potest; ex donis scilicet, quibus repleti sunt. Cum enim hæc dona (quorum aliqua statim referemus) nec natura nec humana industria donauerit, sed largitas diuina concesserit, fit, ea orationibus à iustis peti, & lacrymis ac gemitibus postulari. Nam licet ea sit liberalitas Dei, ut nonnumquam nobis, nec petentibus, nec desiderantibus ingerat dona sua, tamen ordinariè id in donorum distributione seruat, ut priusquam ea nobis conferat, ad orandum & postulandum impellat. Quòd si hoc ab omnibus quaerit, ut rogetur, antequam sua dona profundat, maximè id exquiret à sanctis, quos vult nobilissima ratione ditare. Ea autem est, ut ipsi ad spiritualium donorum acquisitionem aliquid faciant, & se ad ea promerenda orando, efflagitando, & gemitus promendo, disponant. Eis in libro Psalmorum dicitur: Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pascere in diuitiis eius. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Illi sperant in Domino, & non in seipsis, nec in multitudine diuitiarum suarum, & faciunt bonitatem assidue, & quasi ex consuetudine (quod perfectorum est) & habitant eam viuentium terram (vitam perfectam intellige) quæ non tribulos, & spinas germinat, sed flores, & lilia producit. Huius diuitiis ad suauitatem & saturitatem pascuntur, quia virtutum dulcedine perfruuntur, & bonorum operum ex illis promanantium copia satiantur. Ita viuunt, ut non in sæculo, nec in rebus perituris, sed in Domino delectentur, & tunc iuxta desideria & petitiones suas, assequuntur à Domino, quicquid impetrare gestiunt. Inducunt ipsi Domino viam suam, ac vitæ suæ rationem aperiunt, non ut sciat, qui omnia nouit, sed ut illi ostendendo necessitatem suam, desideria sua, & affectus accendant; & Dominus facit quod ipsi fieri volunt, quia si iusti largi sunt in petendo, qui tribuit affluenter, & non improperat, largior, & profusior est in donando. Ita igitur donat iustis opes cælestes, ut prius donerandi facultatem. Ita effert illos ad imitationem Angelicæ vitæ, ut prius velit rogari, & precibus ac lacrymis excitari. Quod adeò verum est, ut etiam Virgo Beatissima, quæ ab Angelo gratia plena vocata est, tantam gratia plenitudinem non sine oratione receperit, nec sine lacrymis impetraverit. Nec id sine magno testimonio proferimus. Sanctus enim Bonauentura egregius Ecclesiæ Doctor refert, Deiparam Virginem in quadam reuelatione beatæ Elizabethæ ista verba dixisse. Filia tu credis, quòd omnem gratiam, quam habui, habuerim sine labore, sed non est ita: imò dico tibi, quòd nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda deuotione, multis lacrymis, & multa afflictione: dicendo, cogitando

Psal. 36.

Bonau. in
medi. vi-
re Chri-
sti. c. 3.

semper

semper placita sibi, sicut sciebam, & poteram, excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in utero matris. Si hæc ita sunt, videamus quæ donata sint sanctis, & inde videbimus quantum eorum orationes valeant, & quàm magnam copiam bonorum obtineant.

Deus, quæ Dominus sanctis & electis impertit, bipartita sunt, quædam ipsorum profectum, quædam verò ipsorum ornatum, ac splendorem, necnon & Ecclesiæ utilitatem respiciunt. Quorum Laurentius Iustinianus, ex Gregorio desumens, his verbis mentionem fecit. Duo esse spiritualium donorum genera, quæ fidelibus suis, & amicis charissimis Dominus largiri consuevit, sanctarum erudimur testimonio Scripturarum; quorum alterum ad decorem, alterum verò pro recipientium utilitate impenditur. Priora quippe dona, quæ impertiuntur ad ornatum, persuadent intuentibus, & intelligentibus, hominem esse sanctum, spiritualibus muneribus plenum. Deo dilectum, & cum eo intima charitate coniunctum; posteriora verò sanctum sui efficiunt possessorem, proprio acceptissimum conditori, meritique cælestibus valde locupletem, tamen non sit semper hominibus notum. His omnibus donis viros perfectos Dominus replet, atque nobilitat: quod ipse magna verborum attestazione promisit, dicens: Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem. Verè dico vobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum. Seruus ita faciens, sicut præcipit Dominus, est seruus fidelis, qui somniam ignauitæ discit, qui super se & supra sibi commissa vigilat, qui mortificatione præcinctus, & lucernas bonorum operum manibus tenens, omnium Iudicem patienter expectat. Hunc Dominus super omnia sua bona constituit, cum ei omnia dona, tum ad vitam immortalem, tum ad vitam mortalem; tum ad suam pulchritudinem, tum (si opus fuerit) ad aliorum vsum utilitatemque concedit. Ideoque Paulus vocatur vas electum à Domino (quod nomen cæteris perfectis conuenit) quia tamquam vas pretiosissimum præelectum est, ut thesauros cælestes in hæc duo genera donorum partitos, in suo corde recondat. Vas, inquit, electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. Vas, inquam, electionis, quod primò sibi, deinde aliis abundet: quod primùm cognoscat & amet Deum, & postea eius nomen, ipsiusque notitiam & amorem in alios effundat. Ita sancti sunt vasa electionis, ut vtraque Dei dona contineant. Dona quidem sanctificantiæ, quibus ipsi sint sancti, ac Deo amabiles; & dona cohonestantiæ, quibus alios ad sanctitatem trahant, & Ecclesiæ proficiant. Sunt vasa misericordiæ, quæ Dominus præparauit in gloriam. Quos enim nunc multiplices misericordiæ replet, ad eum ut aliorum miseras, paupertatēque depellant, postmodum pro mensura acceptæ misericordiæ gloria & felicitate replebit. Sunt denique vasa in honorem, quæ quia non vacua ab hominibus inueniuntur, sed plena donorum cælestium, admirationem, & utilitatem afferentium, nequaquam contemptui habentur, sed ab vniuersis honorantur.

Sed iam quæ sint ista dona, quibus Deus viros perfectos, ut vasa misericordiæ replet, breuiter expédamus, vel potius (quod facilius erit & vilius) oculis omnium conspicienda, & consideranda relinquamus. Sunt enim illa tam nota, ac manifesta, ut oculis omnium exposita verborum expressione, non egeant. Quis namque licet excors, licet notitia rerum spiritualium ignarus, non videat in sanctis multa

A supra naturam, supra conditionem humanam, quæ terra ista non profert, sed cælum mittit, & larga Dei misericordia tribuit? Quis non videat in illis (quæ ad ipsorum puritatem pertinent) donum compunctionis, munus abnegationis ac beneficium propriæ contemptiōnis? Nam & ipsi minimos quoque defectus plangunt, veterem hominem proterunt, & se tamquam vilissima mancipia contemnunt. Quis non in perfectis animaduertit gemmam perfectæ castitatis, adamantem obedientiæ, & carbunculum paupertatis? Qui licet religiosi non sint, & alium quemuis statum profiteantur, si tamen ad perfectam virtutem venerunt, nec terrenis rebus adherent, quo nihil pretiosius; nec diuinis mandatis contradicunt, quo nihil robustius, nec se carnis colluione contaminant, quo nihil purius inuenitur. Quis neget illos omnium possessores esse virtutum, quos perfectæ charitatis occupans, sua familia regali replet, quæ in omnium virtutum cætu consistit? Quis ambigat omnibus Spiritus sancti donis abundare, & sapientes ac intelligentes esse, fortes, ac pios, & consilio, scientia, ac timore coopertos, quorum mentes ipse Spiritus diuinus inhabitat, & in sui templum ac ædem elegit? Quis non affirmet eos ad Dei familiaritatem admissos, Deum intima quadam luce cognoscere, Deum scire, Deum purissimo amore complecti, cum Deo colloqui, atque ei imitatione perfectionis inhære? Quis tandem non fateatur sanctorum animas abundantissima gratia fulgere, singulari cælestium notitia splendere, scientia agendorum, & vitandorum illustrari, necnon & purissimis desideris, ac sanctissimis operibus occupari? Vniuersa hæc dona Dei sunt in suos electos effusa, quorum abundantia pristinum squalorem, & fætorum obrunt, & nouam dignitatem, ac splendorem ostentant. De sanctis hæc donorum copia cumulatis, illud Zachariæ intelligendum est: In die illa, erit quod super frænum equi est, sanctum Domino, & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. Si enim equi albi (ut est in reuelatione Ioannis) sanctos significant, nam exercitus qui sunt in cælo, sequebantur Verbum Dei in equis albis, vestiti byssino albo & mundo; quid istorum equorum phalæ, nisi Dei dona designant, quæ cum ob Dei honorem non otiosa custodiuntur, eius nomini consecrantur? Et si lebetes fulgine denigrati, & sanguine bestiarum oppleti, peccatores indicant, quid erit, lebetes in phialas odoramentorum plenas conuerti, nisi, abundantiam miseriæ, in abundantiam misericordiæ; & fætoris iniquitatis, in suauissimum odorem gratiæ commutari? Hanc habent perfecti, & quidem geminam, qui & gratia mortificationis seiplos cohibent, & gratia virtutis semetiplos exornant. Quare illi viginti quatuor seniores, qui & perfectos figurant, habent in manibus citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum. Habent citharam ex chorda, & ligno compositam, id est, ex cruce, & carne propria in ea crucifixa compactam, quæ donum mortificationis designat, & habent phialam odoris plenam, quæ est perfectæ virtutis in signum. Quæ duplici gratia, aut quadruplici dono insigniti, concinunt canticum nouum laudationis Dei, quod nunquam veterascet, sed in perpetuum nouum exister.

Prædicta dona ad sanctitatem perfectorum spectant. Quæ verò decori seruiunt, plurima quoque sunt, & eorum largitas Dei, prout decet, quædam his, quædam aliis non sine magno discretionis iudicio dispensat. Hinc nonnulli sanctorum velut terra fertilis, lacrymarum imbribus irrigantur, & iniquorum peccata, suumque exilium descentes, peregrinos

Infti. lib.
de humi-
litate ca.
12.

Luc. 12.

Abv. 9.

Rom. 9.

Zach. 14.

Apc. 19.

Apc. 5.

se esse in saeculo, ac caeli incolas, & ciues ostendunt. Alij corpus bonum, & mirabili tranquillitate compositum, ac singulari modestia perpolitur, sortiti sunt, vel (vt verius dicam) assiduo virtutis studio consequuti, quod & aspicientes admirantur, & illud habentes vitam alienam desideris mundi se habere profitentur. Alij sermonis gratia cumulati ita de Deo loquuntur, & res diuinas edisserunt, vt & audientes ad compunctionem, & morum emendationem moueant, & non prauis amoris affectibus, sed charitatis discipuli, euidenter appareant. Alij ineffabilia Dei arcana cognoscunt, & assiduis consolationibus perficiuntur, ad eod vt nonnumquam aut pra sublimitate cognitionis, aut pra magnitudine deuotionis alienationes a sensibus, raptus & extases pariantur, & motus quosdam caelestes, & supernaturales sustineant. Alij, ac si essent ferrei, magnis affectionibus corpus suum domant, asperitatibusque discruciant, & inedia castigati, & asperimis facis, ac ciliciis onerati, non solum alacres, sed & sani, & incolumes, & hominibus laute uiuentibus robustiores, incedunt. Alij miraculorum gloria coruscant, & tot mirabilia patrant, vt plane Dei ministri esse videantur. In quibus illa Domini promissio impleta est: Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.] Alij barbaras gentes inuadunt, & ab infidelitate ad fidem, ab imunditia ad vitam puritatem pertrahunt, & pretiosa Diaboli spolia diripiunt. Alij denique omnibus, quae agunt, quae moluntur, magnam reliquis hominibus utilitatem afferunt. Quemadmodum enim (vt Basilus ait) ex igne naturaliter emicat splendor, ex vnguento quoque praestanti diffunditur odor, sic de sanctorum commemoratione gestorum ad omnes provenit utilitas.] Iure igitur idem Basilus, atque Cyrillus vase aureo, in quo manna recondebatur, animam sanctam, atque perfectam signati autumant, quae non vacua est, sed donis, in admirationem sapientibus, abunde referta, ex qua honor Deo, & fructus hominibus provenit. Pia sanctaque animam ait Cyrillus, quae Christi fidem concepit, quae totum in seipsa caelestem thesaurum condidit, pretiosum atque aureum vas est, & a Pontifice omnium Deo Patri offertur, seruabiturque in conspectu eius in aeternum.

Ex his iniutorum iustorumque discrimen agnosce, quod illi vacui donorum sunt, isti pleni; illi pauperissimi, isti ditissimi; illos caelestia bona fugiunt, istos exornant. Aut si illi quid boni habent, totum in verbis, aut in signis est positum; istorum autem bonum in operibus, & veritate consistit. Loquuntur fortassis illi de decore virtutis, & quod numquam experti sunt, longa oratione circumferunt; at illi tacentes virtutis pulchritudinem, opere patefaciunt. Ab his duorum hominum generibus non sane alienum est, quod Ambrosius de Philosophis, & nostris sacerdotibus pronunciauit: Philosophi, inquit, in sermone diuites sunt, fidei inopes, veritatis exortes. Et sunt plerique simplices Domini sacerdotes, in sermone pauperes, abstinentia, & virtute sublimes. Illi suos amittunt quotidie sacerdotes; hic pauper populos acquirit Ecclesia, numeroque credentium. Qui ergo hoc audierit, & viderit operum qualitatem, dicit: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.] Hinc Salomon deriuauit illud, quod quasi suum ipse posuit: Ex multiloquio non effugies peccatum.] Dialectica ergo diuitis verborum fluit, pietas timorem Dei seruat. Ideo hic parcus in verbis, diues in spiritu, magis vult timere, quam vana veri verba iactare.] Optimè

dicta sunt haec, quae non solum in Philosophis, & sacerdotes nostros, sed in iniustos quoque & iustos quadrant. Quorum illi aut statim se produnt, & quam expertes donorum sunt, moribus & vita declarant: aut ad summum mendicitatem suam verbis & signis bonitatis abscondunt. At isti nolentes se prodere paucis verbis, sed multis rebus, ac plurimis virtutis operibus, quantum acceperint, manifestant. Qui ne donis superbiant, & beneficiis pareant, & diuitias congregent in malum suum; haec duo donorum genera, quae praediximus, differenter accipiunt. Illa namque priora, quae ipsos bonos faciunt, abundantissime possident, & sine vlla exceptione habent; ista vero, quae ipsos bonos ostendunt, prout vtile est illis, & aliis, inueniunt. Diuina siquidem sapientia, vt scripsit Laurentius Iustinianus, humanam praenoscens fragilitatem, quam prona videlicet sit ad casum, & quam procliuis ad admittendas popularis famae leues auras, paucis impertitur curationum, & faciendorum miraculorum dona, atque praedicendi futura, intelligentiam, tamquam minus ad salutem necessaria, imò periculosa supra modum, vbi deest humilitatis virtus, quae pro beneficiis sibi praerogatis superbire nescit.] Aduerte igitur quantis donis fulgebunt illi, quorum omnia quae habent, & quae non habent, dona sunt; quae habent, quia gratis dantur; & quae non habent, quia ne cadant, & sanctitatem perdant, denegantur? Expende etiam quantum valeat, & possit apud Deum illorum oratio, quorum precibus flexus tanta mala (quae in mundo sunt) arcet, & tam ingentia bona concedit.

Tandem aliud iniquorum, imperfectorum, & perfectorum discrimen non praeteribo: quod primi iniquitatibus, secundi imperfectionibus pleni sunt, perfecti vero donis, ac beneficiis onusti. O inaequalis fors, o dispar onus, o varia plenitudo? Mali replentur peccatis, vt pereant; imperfecti grauantur imperfectionibus, vt donec eas deponant, crucientur; sancti onerantur beneficiis, & donis, vt hoc onere se miseris & malis expediant. Mali, & imperfecti tamquam ferri onerantur, aut peccatorum, aut imperfectionum compedibus; perfecti tamquam arbores fructiferae, onerantur donorum fructibus. Istud est iugum suauis, & onus leue,] quod ceruicibus eorum insidet, & Dominus super humeros ipsorum imponit. Decet enim bonum Dominum dilectos suos peccatorum oneribus expedire, & donorum ponderibus onerare. Bernardus profecto iugi, & oneris nomine hoc onus donorum & beneficiorum intellexit: nec immerito, quoniam onus impositae legis, gratiae donum est, cuius obseruantia perfecta caetera in animam dona inuehit. Eius verba sunt: Laborantes ad refectionem inuitat, ad requiem prouocat oneratos. Non tamen interim onus subtrahit, aut laborem: magis autem onere alio, alio labore commutat; sed onere leui, suauis iugo, in quibus requies, ac refectionis, & si minus appareat, tamen inueniatur. Graue onus iniquitas, sedens super talentum plumbi. Sub hac gemebat sarcina, qui dicebat: Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me.] Quod ergo onus Christi, quod onus leue? Vt quidem ego sentio, onus beneficiorum dulce onus: sed ei, qui sentit, ei qui experitur. Alioquin si non inuenias, si non aduertas, graue omnino, & periculosum. Oneriferum animal homo tempore suae mortalitatis. Si adhuc portat peccata sua, onus est graue: si iam forte exoneratus est a peccatis, minus quidem graue; sed si sanum sapiat, non minus grande onus inueniet, hanc ipsam, quam

diximus,

Ioan. 14.

Basil. ser. 5. de Seruicio. Mart.

Basil. ser. quod Deus non est causa. malor. Cyrill. 31. in Ioan. 6. 34.

Ambros. in Psal. 36.

Psal. 36.

Proa. 10.

Iustin.

Matt. 11.

Bern. ser. 15. in Ps. Qui habet ius.

Psal. 37.

*Psal. 115.
Luc. 5.
Iob. 31.*

diximus, exonerationem. Onerat nos, cum exonerat Deus; onerat beneficio, cum exonerat peccato, Vox onerati: Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Vox onerati: Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Vox onerati: Semper enim, quasi tumētes super me fluctus, timui Deum. Semper, inquit, timui: Sicut ante, sic post acceptam indulgentiam peccatorum. Beatus homo, qui ita semper est pauidus, nec minori angitur sollicitudine, ne fortē obruatur beneficiis, quam peccatis. Nemo est, qui non aliquid oneris portet, quoniam nemo, qui non diuinis beneficiis subsit. Sed si vis ad plenitudinem hac pretiosa beneficiorū sarcina onerari, & diuinis donis impleri, dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui contracti sunt, liberos, & omne onus peccati dirumpere. Nec enim rex delinquentibus onera dignitatum imponit, nec diues direptoribus sarcinam suarum ditiarum committit. Sic nec Dominus his, qui oneri peccatorum & iniquitatum seruiunt, onere suorum donorum magnorum, non tam onerari, quam liberari permittit. Depone insuper onera imperfectionum tuarum, curas rerum secularium desere, & te ipsum, onus quidem grauissimum, derelinque, vt Deus seipso te repleat donis suis impleat, & omni amore terrenorum vacuum, caelestibus beneficiis magis magisque multiplicet.

Isa. 98.

*Quanto honore Deus perfectos
afficiat.*

C A P. XXXIII.

Psal. 99.



ONOR regis, ait sanctus Dauid, iudicium diligit: quo ostendit, honorem à Deo summo Rege delatum, non temerè iustis attribui, sed iustissima aequitatis lance librari. Equum ergo est, vt omnium iustorum iustissimi, quales sunt viri perfecti, ampliori reuerentia ac honore dignentur. Qui cum maxima dona suscipiant, eisque gloriosiores appareant, maiori honore digni iudicandi sunt, si omnis natura, & omnis hominum natio non fallitur, quae semper melioribus maiores honores decreuit. Hic perfectorum honor post eorum dona nunc explicandus est, & quidem breuiter, quoniam in prima huius operis tractatione multa de honore religiosorum diximus, quem illi praecipue habent, quia statum adipsenda perfectionis profuerunt, & viri sancti à secularibus existimantur. Conabimur autem noua dicere, (nam in rebus diuinis facile est noua considerare, & inuenire) & à repetitione dictorum abstinere. Virtus via est, per quam ad honorem & gloriam peruenitur, non quia ipsa honorem quaerit, nā (si vera est) sui ipsius bonum, & Dei beneplacitum expetit, sed quia (Deo disponente) dum placere Deo quaerit, in gloriam etiam & honorem incurrit. Qui cum sit primum virtutis, eo in loco collocatus est, ubi virtus aliud praeparabilius quaerens, illum quoque velut suae pulchritudinis congruum inueniat. In Psalms legimus: quoniam Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Qui enim facit, vt virtutem sectemur, facit etiam, vt gloriam & honorem vel nolentes acquiramus. Et iterum in alio Psalmo: In terra deserta, in uia & in aquosa: sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Lib. 1.

Psal. 123.

Psal. 62.

A Quid est hoc? Nisi quod qui in hoc saeculo bonorum deserto, ac vacuo, & via veritatis carente, & fructu bonarum actionum orbato, se apud Dominum sanctitatis amatorem exhibet, dum virtutem habet; gloriam cum ea & honorem retinet? Ac demum alio loco de sanctis scriptum est: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exultabunt. Iustitia quidem illos exultat, atque magnificat cuius causa homines & Angeli eos suspiciunt, ac venerantur quos pulchra virtus sibi in sponso adiunxit. Quia nobilis, inquit, vir eius, quando federit cum senatoribus terra. Quis est vir eius? sancte qui muliebrem infirmitatem exuens, & virorum fortitudinem induens, iniuit cum virtute commercium, & tamquam sponsam clarissimam in domum sui cordis deduxit. Gloria virtutis sanctorum Domine tu es, quoniam virtutis amatores gloriosos efficit, honorabiles reddis, & honorem illis verissimum non fucatum, nec simulatum constituis, & gloriam spontaneam non violentia extortam discernis. Merito autem Dominus ita statuit, vt studiosis virtutis honor, ac gloria tribueretur, quia, vt inquit Bernardus; Quae sine virtute est gloria, profecto indebita venit, praeproperè affectatur, periculosè captatur. Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriae est, Fallax gloria, & vana est pulchritudo, quam illa non parturuit; sola est, cui gloria debetur iure, & securè impenditur. Si hoc ita est, perspicue liquet perfectos viros honore esse dignissimos, quorum non ordinaria est virtus, non segnis: sed eximia, feruens, atque perfecta. Si enim ferrum magnetem quemlibet sequitur, fortiorem ac robustiorem magis sequetur. Ita si honor virtutis est comes, eam, quae pulchrior, & perfectior est, vehementius & delectabilius comitabitur.

Psal. 88.

Prou. 31.

Psal. 88.

*Bernard.
ser. 1. de
sancto Vi-
tore.*

Habent quidem perfecti omnes causas, nulla excepta, propter quas solemus homines alios honorare. Honore ac reuerentia afficimus nobiles, & sanguine illustri progenitos: Sed omnes perfecti sunt nobilissimi, licet secundum carnem ex vili prosapia nascantur, quoniam sunt fratres sanctorum, cognati Angelorum, & domestici, ac filij Dei. Quos non aliena parentum merita prouexerunt, sed propria facinora extulerunt, & praestantissimi pro obtinenda virtute labores exaltarunt. Honoramus diuites: Sed perfecti extrema quoque mendicitate oppressi, squalore, & inedia confecti, & rebus humanis destituti, ditissimis sunt ditiores, quia si aurum, & argentum, & res perituras non possident, quia eas cum Paulo arbitrantur stercora, virtutes, & Spiritus sancti dona, & consolationes caelestes, & ius ad regnum caelorum, veras diuitias, & semper duraturas obtinere noscuntur. Honoramus sapientes, ac literatos: sed perfecti sunt sapientissimi, qui sciunt seipso, & ideo tam verè seipso despiciunt, qui sciunt Deum, ac ideo illum tam ardentè sitiunt, tam diligenter quaerunt, tam efficaciter complectuntur: sciunt vias virtutis, & semitas sanctitatis, quas etiam in obscura nocte aduersitatis sine vlla offensione percurrunt. Haec verò est sapientia vera, quam qui ignorant, quamuis de rebus humanis acutè disputare & disertè loqui sciant, caeci & stulti reputantur. Honoramus in aliqua dignitate positos: sed perfecti non vna dignitate, sed multis atque amplissimis nobilitati sunt. Ipsi enim sunt Iudices, qui impios in die nouissimo iudicabunt, ipsi reges, qui in aeternum cum Christo regnabunt: ipsi sacerdotes, qui hostias semper laudationis offerent. Honoramus viles nobis aut toti regno proficuos: Sed perfecti manum Do-

Philip. 3.

mini

mini super peccatores extantam detinent, indulgentiam, & dona impetrant, & totius Ecclesie decus, & ornamentum existunt. Honoramus denique fortes, & eos, qui in praelio hostes prostrauerunt; Sed ipsi quicquid vitiosum est, fortiter vicerunt, & de hostibus animam gloriosam victoriam reportarunt. Nec obstat quod aliqua illis victoria obtinenda supersit, neque enim duces reipublice pro extrema victoria solum, sed pro quacumque victoria obtenta immensis laudibus celebrantur, praemiiis cumulantur, & ipsorum tempora victorum seruo cinguntur. Nam & Dauid prima suae vitae victoria potitum, qua Philistaeum, in lapide & funda deiecit, omnis Israel cum triumpho, & canticis laudationum excepit, puellis ludentibus, atque cantantibus percussit Saul mille, David decem millia.] Sic & perfectum virum ob partas de hoste victorias, omnes dignum honore ducunt, & pro obtinendis ipsum patienter expectant. Perfecti igitur sanctitatis amore se ipsos dignos honore fecerunt; quare Paulus ait: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum,] & paulo superius: Iis, qui secundum vitam patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quarunt, vitam aeternam Dominus abundanter donabit.]

1. Reg. 18.

Rom. 2.

Psal. 10.

Quia ergo viri perfecti maximo honore digni sunt, Dominus qui iustus est, & iustitiam dilexit, & aequitatem vidit, vultus eius,] eos non solum postquam suat vita functi, sed etiam dum viuunt, facit maximo honore a cunctis venerari. Sanctos enim ex hac mortali vita ad immortalem, & ab exilio ad patriam translato, quam maximis honoribus omnis fidelium caeterus prosequitur. Nam ante perfectorum corpora, atque reliquias, non tantum communes homines, verum principes quoque, & reges, ac sacerdotes, necnon & ipsi Pontifices maximi genua flectunt: eorum auxilium poscunt, coram Deo intercessionem efflagitant, ossa complectuntur, indumentorum particulas exosculantur, templa Domino pro ipsorum honore condunt, imagines erigunt; solemnitates celebrant, & in his atque aliis honoris signis, sanctos Deo coniunctos, & illius supernae patriae ciues, & diuinitatis participes profitentur. Non tamen Dominus in futuram vitam, omnem sanctorum honorem referuat, sed in hac etiam amplissimo honore re multiplicat. Omnes namque, qui viros perfectos agnoscunt, (cognoscunt verò eos plurimi, quia sicut non potest lux, aut ignis occultari, ita nec splendor, ac seruator sanctitatis abscondi) illos tamquam viros diuinos timent, & in corde suo magnos, & beatos existimant. Quod & sanctis Apostolis apud rebellem populum contigisse, sacra Scriptura commemorat. Caeterorum nemo, inquit, audebat se coniungere illis, praeter timorem scilicet, ac reuerentiam, sed magnificabat eos populus.] His itaque, quos viros innocentes, & puros existimant, aliquod malum inferre verentur: eis sanctitatis nomine in aliqua necessitate constitutis, subueniunt: absentes collaudant, praesentes reuerenter aspiciunt, benignè alloquuntur, si naturalem aliquem defectum habeant (nec enim gratia semper naturam omnino mutat) patienter sustinent, de illis magna & difficilia confidunt, ipsorum consilium (quamuis sine ignorantes) libenter admittunt, & si infirmetur, beatum ducunt illis inferuire, sordes abstergere, & vilibus quoque eorum obsequiis occupari. Denique licet homines, quod ad externam significationem attinet, nobiles, & in dignitate constitutos, & reges magis honorent (id quippe optimus ordo Ecclesiae exigit) tamen interiorius viros sanctos magis aestimant, feliciores putant, domi reuerentia, & honore digniores existimant,

Act. 5.

quia abundantius ipsi diuinam maiestatem participant, propter quam participationem reuerentia homini deferenda est. Egregie ergo Chrysoctomus fingens se cum nobili gentili habere colloquium, cuius filius ad fidem conuersus viam perfectionis intrauerat, persuadet illi, filium à saeculi vanitate, ad sanctitatis veritatem transferat, ampliori honore fulgere, quam si ad reipublicae dignitates ascendisset. Sin autem, inquit, honorari cupis ex filio, nec vllis esse contemptui, (par enim est his quoque te moueri, atque ea cupere): nescio quo pacto id vberius cosequi possis, quam ut eum habeas filium, qui naturam excedat humanam, quique in toto terrarum orbe illustris, & clarissimus habeatur, cumque sit tanta virtute, & potestate, neminem habeat inimicum. Nam si vestra hac potentia praeditus fuisset, habuisset quidem plurimos, qui vererentur, verum nec pauciores qui odissent: at hic illum omnes, & iucundè, & cum voluptate honorant. Si enim nonnulli humili loco nati, agrestiumque operariorum filij, cum ad hanc se philosophiam contulissent, ad eum cunctis fuere venerabiles, ut ne hi quidem, qui in summis dignitatibus agebant, erubesceret proficisci ad illorum ruguria, & cum eis colloqui, mensaque participes fieri: quin ita fuere affecti, tamquam bonis maximis, id quod erat verissimum, potiti fuissent: multò sanè magis id facient, cum viderint hunc illustrissimo ex genere clarissimisque diuitiis summa illa ex spe, ad eam se virtutem contulisse. Itaque quod tu maxime quereris, ex his, eum ad illa transisse, id in primis est, quod illum maxime omnium & probatum & spectatū facit; omnes, ut illum tueantur, inducit, non planè quasi hominem, sed iam penitus, ut Angelum.] Haec tenus Chrysoctomus; ex quo discimus quanto honore homines, eos qui se Deo consecrarunt, honore afficiant, non solum quando hi Deo dediti illustres sunt, sed etiam ignobiles atque plebij; quorum conuictum & mensam (solum ob id quod sancti sunt) adeo saeculi principes non horrent, ut ea sibi tū vtilia tū honorabilia ducant.

Chrysoct.

Ex alio autem capite percipi potest, quantum hic perfectorum honor nobilium & diuitem honorem superat, quod scilicet hos, ex eo, honore prosequimur, quia aliquid regiae dignitatis participant, vel in aliquo saltem à longè regiam dignitatem referunt, & aliquas actiones principum ac regum exercent, ut imperare, iura dare, causas finire, & populorum gubernationem suscipere: illos verò ideo honore afficiamus, quia Deum in se habent, quia eius virtutes, & perfectiones imitantur, & quia aliquid (ut ita dicam) diuini muneris exequentur. Nam eorum oratio homines, à Daemonibus liberat, à populis mala propulsat, prosperitates affert, & vniuersos ad virtutem, ad sanctitatem, ad vitam caelestis desiderium impellit. Sicut autem praestabilius est Deum referre, quam regem, & Dei munera, quam hominis imitari, ita sublimior honor perfectis attribuitur, quam nobilibus huius mundi confertur. Vnde Salo. non perfectionem sectatibus, honorem plusquam regium & imperatorum pollicetur, dicens: Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmentum gratiarum, & coronam inclyta proteget te.] Mundana namque nobilitas hominem, ad tempus; sanctitas, in aeternum exultat. Nobilitas, amicum regum; perfectio, Dei amicum & Angelis parem constituit. Illa se amplectentes curis & negotiis laboriosis onerat; haec quia sine onere magnos facit, se complexantes glorificat. Illa capiti, id est, menti nobilium solet per occasionem addere augmentum vitiorum, nam ex nobilitate superbiunt, & in omnia illa

vicia,

vitia impingit, quorum est superbia principium: hac perfectorum mentibus addit quotidie augmentum donorum, ac spiritualium gratiarum, quia ex perfectione se deiciunt, & illas virtutes assequuntur, quae humilitati semper adherent. Nobilitas denique corona insidiantem circumdat, quia multi nobilibus invident, multi prosperitati eorum, ac diuitiis insidiantur. At perfectio cingit capita perfectorum corona protegente, omnes enim perfecti famulantur, & necessaria subministrant, & tantum abest, ut eum laudent, quod ad ipsum, ut ad asylum confugiunt, & sui ipsorum adiutorem profitentur. An non id Basilii ait, qui proposito premio, quo viri perfecti post mortem coronantur, hac subiicit, cum illo loquens, qui vitam perfectam excolit: Quod si defunctum iam certaminibus, nihilominus in terris te tamen remanere ille voluerit, quod plura tibi, & quae a prioribus diuersa, suscipias, susceperique luculenter conficias, atque ista ratione plerisque cum a visibilibus, tum etiam ab invisibilibus hostibus tutos conferues, nolito dubitare: quandoquidem magna sic etiam tibi in terris parata gloria est: et si apud amicos in pretio, qui te sibi adiutorem ac deprecatorem egregium inuenierint: hi tibi, veluti strenuo militi; alimenta suppeditabunt: hi, ut fortissimum victorem omni sanctorum genere cumulabunt: laetabundique veluti Dei Angelorum excipient, & (quod Paulus ait) ut Christum Iesum.] Quis nunc dubitet a perfectorum honore omnem humanum honorem excellit? Si quidem iste secundum nomen suum humanus est, quem mortales saepe timore, aut spe lucri coacti exhibent, ille vero caelestis, atque diuinus, quem ob diuinam amicitiam, ac vitam caelestem, & non timore, sed amore & admiratione capti decernunt.

Ex eo vero quod honor iste sanctorum tam eximius est, prouenit, ut ad eum exhibendum homines mirabiles reuerentiae significationes faciant, & coram sanctis plusquam coram principibus, aut regibus se deiciant: Numquam enim rex alteri regi cor suum aperiet; angores, quibus quatitur, pandet; infirmas vires, aut aliquid aliud infirmitatem olens, manifestabit; qui indignum ducet se, aut dubium in rebus agendis, aut infirmum ostendere. At viro iusto, & in sua opinione sanctitatis amatori, nihil occultum tenebit, sed quidquid miseriae est, quidquid infirmitatis, illi tamquam adiutori, & deprecatori apud Deum libenter aperiet. Vnde Ezechias exercitu regis Assyriorum oppressus, & magno timore concussus, misit, qui dicerent Isaiae: Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemiae dies iste: venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens.] Quod certe alio regi, praesertim a quo aut militarem manum aut pecuniarum subsidia non speraret, manifestare erubesceret. Numquam vnus rex manum alterius excolabit, aut ei velut minister mensam apponet, aut quasi famulus sedenti, & comedenti seruiet. Faciet autem hac cum viro sancto, quinimod magnum Dei donum indicabit. Confirmet hoc historia scitu dignissima, quae nobis quidem legentibus fuit admirabilis, quam Senerus Sulpitius de Maximo imperatore, & eius vxore imperatrice, necnon & de beatissimo Martino episcopo Turonis enarrat. Referam vero eam huius sancti & sapientis viri verbis, ne aliquid de eius suauitate detraham. Hic (scilicet Maximus Imperator) Martinum saepius euocatum, receptumque intra palatium venerabiliter honorabat: totus illicum eo sermo de praesentibus, de futuris de fidelium gloria, de aeternitate sanctorum, cum interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti

A fletu rigabat, crine tergebat. Martinus quem nulla unquam foemina contigisset, istius assiduitatem, imo potius seruitutem non poterat euadere: non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat, diuelli a Martini pedibus solistrata non poterat. Postremo a viro suo poposcit; dein de Martinum uterque compellunt, ut ei remoris omnibus ministris, praeretur sola conuiuium: nec potuit vir beatus obstinatius reluctari. Componitur castus reginae manibus apparatus, sellulam ipsa, consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum, quem ipsa coxerat, apponit; ipsa, illo sedente eminus secundum famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens seruentis. Miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit. Finita coenula fragmenta panis assumpti, micaeque colligit satis fideliter illas reliquias imperialibus epulis anteponebat.] Quando rex alteri regi simile obsequium impendit? quando sponte illi ministrat? quando mensam ipse praeparat? quando cibum, & potum apposit? & coram illo sedente more seruorum rectus stetit? Tale ministerium ab vno rege alteri exhibitum nec legimus, nec audiuimus, nec aequum iudicauimus. Honor vero iste, qui principibus & regibus denegatur, datus est viro perfecto, & iuste datus, siquidem illo emittitur regnum caelorum, ut appareat quantis gradibus sanctis adhuc in terra viuentibus delatus honor, omnem gloriam, & honorem potentum excellat.

C Si volumus ergo honoris desiderium immodicum primorum parentum in nos delicto transfusum moderari, hunc honorem verissimum non tamen seipso, quam in eius radice, scilicet in sanctitate quaramus, & sic terrenos honores, ut puerorum ludicra despiciemus. Honor hic saecularis, ut inquit Chrysostomus, infamia, nugae, ignominia est, sicut mundi diuitiae supernis illis collatae, paupertas; & vita haec, sine illa, mors est. Amat ut iste, quia deest nobis diuinus ille. Sicut enim qui carent pretiosissimis cibis, viles diligunt, quos tamen, illis habitis, non sine nausea proicerent: sic quia caremus verissimo honore sanctorum, hunc fucatum venamur, & magnis laboribus animi, & corporis exquirimus, quem si illud haberemus, sine vlla difficultate aspernaremur. O igitur tu, qui mundo mortuus, & in statu humilitatis positus, honoris, & gloriae mundanae stimulus te sentis vrgeri, audi a beato Ephraem, in quo verus honor & vera gloria consistat. Audi, non ut audias, sed ut quarras, & inanem ac velocissimè transeuntem saeculi gloriam contemnas. Gloria Christianorum inquit ille, Dei praecipuum est. Gloria Christianorum, Apostolorum & prophetarum doctrina. Gloria Christianorum, humilitas animi est, spiritualis paupertas, atque obedientia. Gloria Christianorum, Palmodia cum compunctione. Gloria Christianorum penitentia cum lacrymis. Gloria Christianorum, mansuetudo, & quies, omnibusque se submittere, ac reuerentiam tribuere. Gloria Christianorum, pedes fratrum lauare. Gloria Christianorum est dicere socio: Peccavi tibi, ignosce mihi. Gloria Christianorum aduenarum & peregrinorum est receptaculum, atque compassio. Gloria Christianorum, & salus est semper mensa sua pauperes, orphanos, aduenasque excipere: hanc etenim domum Christus sua nunquam praesentia destituit. Gloria Christianorum est, non sine re solem occidere super iracundiam suam, neque in inimicitia aduersus aliquem obdormiscere. Gloria Christianorum, atque corona est, tribulationes sufferre, & non indignari, talisque amicus reperitur illius, qui

Basil.
praef. in
ascetic.

Rom. 15.

A. Reg. 19

Sulpitius
2. dialog.
6. 7.

Chrysof.
hom. 42.
in Ioan.

Epheum
de amore
pauperum.

dixit: Quoniam tribulatio vestra conuertetur in gaudium. Illa omnia sunt verus honor, & vera sanctorum gloria, quoniam eos honorabiles reddunt, & verissimum honorem habentibus deferunt. Hunc tu honorem quare, hunc non vanis laudationibus, sed peccatorum, & defectuum confessione, non ineptis dignitatum presentationibus, sed virtutum exercitatione ambi. Ita honorem allequeris, quem non maledicorum morsus adimat, quem non dignitatis perfunctio diuellat, quem non diuitiarum amissio consumat, sed in aeternum honorem commanatus, semper floridus imperturbatus, & omnibus admirandus exultat.

De victoris perfectorum.

C A P. XXXIII.

Dilectus Domini Ioannes in sua reuelatione, sanctorum futuram gloriam post presentem tribulationem delineans, vidit eos stantes ante thronum, & in conspectu agni, amictos stolis albis, & palmae in manibus eorum.] Statio quidem ante thronum sanctorum, honorem amplissimum; amictus albus, quo Agnum imitantur; eorum vitam purissimam; & palmae manibus praelatae, victorias obtentas de hoste designant. Nihil enim gloriosius, quam principum more coram solio Regis regum stare: nihil purius, quam in conspectu Agni quempiam candidum apparere; nihil victoriosius, quam inter caelites victorem hostium pronunciari. Licet autem honor victoriam subsequatur, in reuelatione Ioannis sermone praecedit, quoniam de postrema sanctorum victoria, aut de omnibus ipsorum victoriis loquebatur, quarum finis expectandus non est (sicut diximus) vt eos honore, ac reuerentia celebremus. Ideoque sanctorum honor ante victoriam a nobis est expositus, quoniam non vnam tantum victoriam, sed vniuersas ipsorum victorias non tam prosequi, quam attingere cupimus, post quas omnes non honorem apud homines, sed praemium apud Deum confidenter expectant.

Perfectos igitur esse victores inde constat, quod primo pro fortitudine sibi data ad praeliandum, deinde pro ipsa obtenta victoria immensas Deo gratias referunt. Gratiarum actio ipsorum, est illa prophetae cantilena: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, & digitos meos ad bellum.] Fatentur his verbis se, non propria virtute, sed virtute Domini de hoste reportare triumphos. Fatentur se minus expertos ad bellum esse, & a Domino instrui, atque eius viribus adiuari. Fatentur ingenuè, quod si suo duci non innituntur, nullatenus valebunt de virtutis hostibus triumphare. Cuius rei Bernardus est testis, qui de sponsa loquens, haec ait: Frustra nititur, si non innititur, scilicet super dilectum suum. Sanè etiam contra se innitens inualefcet, & facta seipsa validior, coget pro ratione vniuersa iram, metum, cupiditatem, & gaudium veluti quemdam animi curum bonus auriga reget, & in captiuitatem rediget omnem carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis.] Iure autem consentitur sancti, a Domino manus eorum ad bellum instrui, & digitos ad accipiendum gladium, & lanceam conuenienter aptari, quoniam in Deuteronomio Dei auxilium ad praeliandum & vincen-

dum sibi promissum est. Si exieris, inquit, ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & curus, & maiorem, quam tu habeas, aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti:] Terra Aegypti vita prophana est, a qua viri perfecti, potestate Dei educti sunt, & ad terram promissionis, id est, ad vitam sanctitatis amatricem translati. In hac terra non omnia pacata sunt, non omnia secura, quia maxima hostium multitudo aduersus sanctos insurgit, vt eos a terra, lacte & melle manante, quam semel possederunt, disturbent. At sancti & perfecti, iuxta datum sibi praecceptum, non timent, neque hostibus inferiores se putant, nam Dominus a dextris est illis, ne commoueantur. Eandem gratiarum actionem pro adiutorio sibi dato, ad vincendum, idem sanctus Dauid sanctorum nomine alio loco decantat, dum ait: Docens manus meas ad praelium, & componens quasi arcum aureum brachia mea: Dediti mihi clypeum salutis tuae, & mansuetudo tua multiplicauit me. Accinxisti me fortitudine ad praelium: incuruasti resistentes mihi subtus me. Hoc opus Dei est, manus dissolutas ac debiles ad praelium instruere, & brachia carnis in brachia aerea, id est, fortia & robusta, commutare. Opus Dei est, hominem clypeo ad salutem munire, & aliquando, aut cadentem, aut nutantem erigere, ac vt ipse vincat, atque virtutibus augeatur, eum mansuetissime sustinere. Opus Dei est, infirmitatem fortitudine cingere, & ex hostibus seruos facere, & eos ad vtilitatem hominum ordinare. Huic eximio beneficio sancti se gratos ostendunt, & pro eo laeti gratiarum actionem non praetereunt.

Perfectorum quoque vox est, illa Pauli sententia, qua se vicisse & superasse testantur. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.] Quam victoriam? Certè omnem victoriam: qua vniuersos suos hostes vicerunt, & non solum in ditione sua, verum etiam (quod miru est) in alioru ditione prosperarunt. Tres namque esse animae humanae hostes mundum, Diabolum & carnem nullus ignorat, de quibus Bernardus ait: Si essemus in domo illa non manu facta aeterna in caelis, vbi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc verò tribus malignissimis, & validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo, & mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extingueri, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos, & ita te repente turbantes, vt vix praenosceri valeas, vnde venias, aut quò vadas.] His hostibus impij seipfos ligatos & compeditos dederunt, de quibus dictum est: Percussimus foedus cum morte, & cum inferno fecimus pactum:] Imperfecti verò in rebus minoribus se illi pusillanimitè subiecerunt, quorum oblatos honores amant, suasiones, si non recipiunt, auscultant, & commoda consecretantur. At perfecti viri quam longissimè possunt, ab se ablegant, & tamquam cum immanissimis hostibus nullum patiuntur cum eis inire commercium. Imò illos victos ac superatos a se fugant: & quisque oru dicit & facit illud Dauidis: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiat. Confringam illos, nec poterunt stare, cadet subtus pedes meos. Gloriosè mundum primum hostem perfecti vincunt, cuius laudes fugiunt, cuius dignitates despiciunt, cuius diuitias parupendunt. Nò illi plausus hominum ob rectè facta quaerunt, imò quantum decet, & licet, seipfos ab obtutibus humanis abscondunt, ne vanaluis thesaurum virtutum, ac sanctarum actionum surripiat. Non dignitates ambiunt, neque

ad pra

Apoe 7.

Psal. 143.

Bern. ser. 84. in c. 1.

Deu. 20.

2. Reg. 2.

1. Cor. 15.

Bern. ser. 3. in vigilia Natiuitatis Domini.

Ipsa. 28.

Psal. 17.

ad prelationes anhelant, sed eas tanquam periculorum semina, & distractionis initia constanter deuitant. Non opes congregant, sed magnas diuitias reputant, rebus terrenis carere, vt seipfos amori celestium accommodent, & cor suum in tranquillitate possideant. Ideo mundus eos vt hostes odio habet, vt fortes timet, vt sibi contrarios vitat, & sæpè dum illi necessitate compulsi, ab huius seculi splendore se exoluere non valent, ipsis ad eorum bonum tanquam vilissimum mancipium inseruit. Magnum enim perfectorum bonum est, quin & magna gloria Dei, si illi opibus cumulati, dignitate amplissima sublimati, & eximii honoribus amplificati, nec amore opibus hæreant, nec de dignitate gaudeant, nec de honore superbiant. Quibus illud Pauli omnino congruit. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Galat. 6.

Mundus crucifixus est illis, quos suorum bonorum contemptores, suæ doctrinæ irrisores, & suorum militum persecutores iudicat. Et illi crucifici sunt mundo, cuius opera atque doctrinam onus importabile putant. Mundus illis est crucifixus, quoniam, vt inquit Chrysostomus, omnia quæ vulgo putantur magnifica, illis sunt mortua. Et ipsi mundo, quia mundanarum rerum cupidine non tenentur, quippe qui mortui sunt illis. Non potest maior esse victoria, quam hostem interire, & ne vquam se iterum efferaat, vita priuare. Vnde perfecti victores sunt mundi, cuius in se desideria interficiunt, & planè illum in semetipsis occidunt. Nec potest aliquis vincere, nisi viuentem, quem, dum resistit, superat, & in suam redigit potestatem. Non ergo perfecti vquam à mundo vincuntur, si à sua perfectione non decidunt, quia velut mortui, neque eius minas audiunt, nec promissiones, quibus illiciantur, aduertunt, neque pœnis inflictis resistunt. Non solum autem perfecti, quia mundo mortui, minimè à mundo vincuntur, verùm ipsam quoque vincunt, atque disiciunt, quoniam mundo mori, non est aliud, quam vires infringere, & quidquid ipse magnum reputat, conculcare. Quòd si, vt mundo mortui, viri perfecti mundum prosterunt, quanto magis illum vt Christo viuentes superabunt, quia iam non tantum quod in mundo lucet, despiciunt, sed omnibus rebus mundanis superiores facti vitam quandam supra mundanam, id est, celestem, instituant. Ad hanc autem victoriam Saluator noster Christus animat sanctos suos, dum ait: In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Tribulationes enim patiuntur sancti, quia mundum sibi aduersarium sentiunt. At in duce suo Christo confidunt, què si illum, vt milites strenui sequuntur praelio, non dubium, quin cum Christo vincente vincant, & cum Christo mundum superante, superabunt.

Ioh. 16.

Victoriam etiam perfecti de diabolo secundo hoste reportant. Nam si diabolus superbia, inani gloria, inuidia, & tristitia aduersus perfectos præcipuè pugnat, ipsi dum hæc à se propellunt, diabolum pugnantem, & non præualentem dispellunt. Perfecti humiles sunt, qui nec virus superbiæ, nec inanis gloriæ suscipiunt. Fratrum amatores sunt, qui bona fratribus cupiunt, nec de eorum prosperitate tristantur. Hæc ergo dæmonis tela non illis officiant. At aduersarius iste non his solis armis pugnat, sed omni armorum genere, omni scilicet apparatu vitiorum humanum genus debellat. Ita est. Sed sancti, qui ad genus humanum natura pertinent, sed virtute naturam excellunt, nullis armis diaboli debellantur, imò ipsum vincunt, atque subiiciunt, quoniam validioribus omnium virtutum armis instru-

A] ti sunt. Denique arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Illi enim, qui non tantum natura, sed in sua etiam aestimatione infirmi sunt, quia veri humiles, & de se submissè sentientes, celesti robore proteguntur, vt arcum fortissimorum dæmonum superent, & ignitas eius sagittas extinguant. Videbis dæmones sibilantes, & nescio quas fictas delicias, & impuras voluptates susurrantes, & nonnumquam amarissimas quasdam tristitiæ & indignationis cogitationes obmurmurantes; & videbis perfectos, nec furtiuè auscultantes (quod non semel imperfecti faciunt) sed aures suas diligenter obturantes, ne vocem incantantium audiant, quæ ipsos non aduertentes decipiat. Audiuit Eua vocem serpentis, & auscultauit, & longam cum eo disputationem contexit, & verbis altissimi argumentatoris capta est, cuiusque persuasionibus compedita: Hi verò prudentia communem viuorum matrem vincentes, non cum dæmonibus disputationem ineunt, non ad verba ipsorum attendunt, non vel leuem vocis sonum excipiunt, sed caput serpentis, id est, initium tentationis, conterunt, & in visceribus Iesu Christi, aut intra proprium cor semetipsos abscondentes, dæmones, qui oblatrabant, irrisos extra relinquunt. Illa, quam imperfecti imitari solent, initium suggestionis admittit, post quod totum corpus tentationis ingressum est, consensum extorquens, & ipsam & nos omnes occidit. At perfecti in hoc ab imitatione matris se subtrahunt, & vt non consentiant, quantum possunt, non sentiunt, nec primam decipientis vocem excipiunt. Sciunt namque scriptum esse in Iob, caput aspidum fuget, & occidet eum lingua viperæ. Id est, qui initium suggestionis diabolicæ libens suscipit, morti infensus seipsum tradit. Et ne in hanc miseram mortem incurrant, caput, aut fel aspidum fugere, & prauam cogitationem corde voluere reformidant. Ecce ergo victores diaboli, qui armati virtute Christi, torum infernum suis pedibus strenuè subiiciunt. Merito verò armati Christi virtute dicuntur, qui vt vincant, charitate cinguntur, virtutibus roborantur, gratia Christi proteguntur, sine qua miserimè vincerentur. Quare si victores sunt, vincit Christus in illis, de quo ait Ioannes, quia exiuit vincens, vt vinceret. Nam ob hoc tentationes suas vicit, quibus diabolus eum aggressus est, vt tentationes suorum, quem admodum Rupertus ait, adiuvando superaret. Nec id Apostolus siluit, dicens: In eo, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari. Ipse itaque victor diaboli viros perfectos eiusdem hostis victores fecit, & superbissimum inimicum, dum nec ad colloquium admittunt, eorum potestati subiecit.

1. Reg. 2.

Genes. 3.

Iob 20.

Apoc. 6.

Ruper. li.

4. in Apo-

ca. ad c. 6.

Hebr. 2.

1. Reg. 14.

E] At carnem suam, hostem vtique omnium potentissimum, non minus potenter deiiciunt. Cui, cum perfecti viri licita, & permessa negant, non difficulter à vitis illicitisque compescunt. Ita eam domant, & assiduæ mortificationis censura distringunt, vt sola necessaria vix accipienda cupiat, & à non necessariis absteineat. Ita sensus à corruptibilibus rebus abducunt, vt studiois actionibus occupatos, quos ante conuersionem arma iniquitatis experti fuerant, iam instrumenta sanctitatis videant. Quare seipfos vndique abnegantes, & omnes sensus, & corporis motus omni ex parte moderantes, carnis affectas aduersus spiritum vndique irumpentes euincunt. Idque signatum est in Saule, cum adhuc erat puer vnus anni, nec innocentiam perdidit: de quo legimus: Quia confirmato regno super Israël, pugnat per circuitum aduersum

Greg. lib. 7. in 1. Reg. ad. c. 14.

Apo. 2.

Num. 24.

Ambr. in Psal. 36. in illud. Observavit peccator.

Basil. ser. de sanct. Sordio. Martyr.

Sapient. 4.

omnes inimicos eius, & quocumque se verterat, superabat.] Is, sicut post casum reprobatorum, ita ante lapsum perfectorum imago fuit, qui regnum virtutis stabiliter possidentes in circuitu adversus sensus, & motus carnis pugnant, & quocumque se vertunt, illos expugnant. Quod mysterium in predictis verbis involutum esse, Magnus Gregorius hac luculentissima oratione declarat. In circuitu quidem vincunt, quia linguam, & os, & oculos, & omnia corporis membra, ab illicita actione custodiunt. Dum enim linguam perfecte per silentium muniunt, quasi in vna parte victores sunt, & dum vident oculis, quae concupiscere dedignantur, ex alia parte victores fiunt. Saepè etiam mala audiunt, & repellunt, & quia noxia reprobant, reprobando triumphant. Cunctis ergo sensibus victores sunt, qui per eorum aliquem subdi malignis spiritibus nolunt. Sed & dum cordi inepta cogitatio offertur, hostis, qui reprobat, eliditur. Qui enim noxia quaeque abiicit, hostem potenter premit. Et qui item læta contemnit, & adversa non metuit, quae reliquit aliquando peruersa, non repetit, & ad caelestia feruenter currit, hostes, quos in circuitu patitur, superare declaratur.] Perfecti ergo viri seipsos vndique munientes, & carnis, ac sensuum suorum illicitis motibus imperantes, gloriosissimam victoriam de importunissimo hoste consequuntur. Et quia bellum cum isto infestissimo inimico periculosius est, & victoria difficilior, ideo dum carnem vincunt, illustriorem mercedem accipiunt. Vincenti, inquit Dominus per os Ioannis, dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.] Quisnam est iste vincens, qui inter septem victores tertio loco victor pronunciat, nisi qui doctrinam Nicolaitarum vxores prostituentium explodit, qui persuasionem Balaam mittentis coram filiis Israël luxuriae scandalum, reiecit; qui blanditias carnis in semetipso per continentiam interimit? Huic in huius victoriae praemium datur manna absconditum, id est, perfecta contemplatio diuinorum, & calculus corporis munditia castitatis candidus, & nomen novum, quo Christi filius quam simillimus compelletur, digna prorsus merces mundorum, qui nomen, & dignitatem splendidissimam lucrantur, dum carnis spurcitas & foeditates contemnant.

Has victorias de immanissimis hostibus viri perfecti in ditione sua, hoc est, in semetipsis, pariunt, sed alias non minus gloriosas de eisdem hostibus in ditione aliena, nimirum in suis proximis, percipiunt. Quis enim sermone explicare poterit, quoties perfecti, peccatores orationibus à saeculo extrahunt, doctrina, à laqueis diaboli eripiunt, & solo exemplo à carnis nexibus liberant? Iusti enim vita, inquit Ambrosius, redarguit peccatorem, quem tacita maiore auctoritate condemnat, quam si voce loqueretur.] Nec solum sanctorum exemplum oculis iniquorum conspectum, hostes animae superat, sed & virtus solo auditu percepta, aut in codicibus lecta, prostermit. Vnde Basilus ait: quòd cum in sanctis voluminibus Moysis vitam, morum lenitatem, nostrae naturae magnopere optatam audimus, statim æmulamur. Ioseph, dum audimus, aut legimus vitam, illius assequi castitatem magnopere cupimus. Si verò Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. Quod autem Ambrosius & Basilus scripserunt, docuit sapiens luculentus, cum de vera sapientia, id est, de virtutis perfectione, ait: Cum praesens est, illam imitantur, prouocati scilicet exemplo eius; & desiderant eam, cum se eduxerit,] nem-

pe cum se ab hominum conspectu, siue per mortem viri perfecti, siue per absentiam subtraxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquatorum certaminum praemium vincens.] Prorsus bene; vt qui in semetipso, atque in aliis mundum, diabolum, & carnem vincit, triumphum, & coronam victoris assequatur, & in perpetuas aeternitates mundissimum certaminum, sed actibus studiosis purificant, felicissimè praemia conquirat. Est ergo perfectus victoriam interfecto, daemonum profugator, passionum, & sensuum victor. Cui per omnia quadrat illa Machabaei praecleara laudatio: Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persequutus est iniquos perscrutans eos, & qui conturbabant populum suum, eas succendit flammis: & repulsi sunt inimici eius praetimore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati sunt; & directus est salus in manu eius.] Hic enim sicut leo fortissimus bestiarum, qui ad nullius pauet occursum,] nullum genus spiritualium praeciorum intentatum relinquit; & sicut catulus leonis, qui solo rugitu bestias exterrit, sic gemitibus vitia sua in fugam conuertit.] Hic affectus suos inordinatos scrutatur, non vt foueat, sed vt persequatur, & cohibeat eos; & noxia desideria cordis tranquillitatem turbantia, charitatis ardore succendi. Hic denique omnes hostes animae suae timore concutit, & à finibus suis, nimirum à sensibus, potenter auertit. Merito profecto triumphali indumento, vestitur, & multis coronis coronabitur. Nam de sanctis scriptum est: Quia sedent circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronae aureae.] Quis enim albam vestem meretur, nisi qui munditiam in vita seruauit? Et cuius caput multis, ac diuersis coronis ornatur, nisi qui non vnam solam victoriam, sed multas de hostibus reportauit? Imitemur ergo perfectos in fortitudine praeliandi, atque in felicitate vincendi, vt cum illis consimilibus fertis coronemur.

1. Mach. 3.

Pror. 30.

Apo. 4.

Quam admirabilis sit perfectorum vita.

C A P. XXXIV.



X his quae haecenus dicta sunt, non erit difficile intelligere, vitam perfectorum esse mirabilem, quam tot & tam supernaturalia dona collustrant. Enimvero si miracula, secundum nomen suum, magnam in mentibus hominum admirationem excitant, quia ordinem naturae praetereunt, quanto maiorem perfectorum vita admirationem ingeret, quae communem ac naturalem viuendi modum superans, spirituum caelestium caeteribus se infert, & supra humanos affectus caput attollit: Multa quidem sunt, quae eam admirabilem faciunt. Vnum eorum est raritas: quae enim rara sunt; & non passim reperiuntur, semper hominibus admirationi fuerunt, licet minora sint iis, quae, quia communia, & quotidie visa, humanis oculis vilaeunt. Hinc, vt Gregorius considerauit, si mortuus suscitetur, si virga arida floreat, si homines multo frusto panis satientur, si aqua in viuum permute- tur, vniuersi admirantur, quos tamen, si homo generetur, si ex arente terra arbuscula germinet, si ex vno grano plura multiplicentur, si humor terrae in

vitem

Grego. 6. mor. ca. 6.

Aug. tra.
2.4. in loā.

Ecol. 1.

2. Cor. 2.
Psa. 106.
Cypr. lib.
de operib.
car. Chri
sti. ser. de
ieiunio.

Iob 28.

Prov. 31.

Aug. epi.
101 ad
Eliodū.

vitem attractus, in vinum conuertatur, nulla subit admiratio, non quia hæc minora sint, sed quia communis diuinæ prouidentie cursus ipsa perficiens, ab hominibus non animaduertentibus admirationem subtrahit. Quamobrem sapienter Augustinus ait: Maius miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus. Et tamen hoc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarerum est. Nihil autem sanctitate rarius, nihil vita perfecta desiderabilius, ergo nihil admirabilius inuenitur. Præui sunt innumerabiles: nam stultorum infinitus est numerus,] qui am fractus suorum affectuum sequentes in horrenda flagitia corruerunt. Communes boni in Ecclesia non pauci, qui diuinis se mandatis custodiendis addixerunt. Viri spirituales, & puritati animæ insistentes non multi (si cum aliis conferantur) qui terrenis rebus despectis assequenda perfectioni diligenter insistant. At viri iam perfecti, & consummati paucissimi, quorum vita ad gradum sublimissimæ charitatis perueniat. Ad hæc enim omnia, quæ vita perfecta requirit, diligenter præstanda, quis tam idoneus? Et quis sapiens, & custodiet hæc, & intelligit misericordias Domini?] Si Moysen, & Aaron, & Samuelem hodie haberet Ecclesia, inquit Cyprianus, cum inuocarent, exaudirentur; & orantibus Iob, & Noë, & Daniele, populo parcerentur. Rarus hodie Phinees, qui perfodiat impudicos; rarus Moyses, qui occidat sacrilegos; rarus Samuel, qui inobedientes lugeat; rarus Iob, qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat: rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes diuinas edicat: rarus Noë, qui his, quibus submersio imminet, arcam bitumine litam prouideat.] Eandem autem raritatem indicat Iob, dicens, Sapientia ubi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?] Ac si diceret: Pauci sunt, qui mentem suam, veræ sapientiæ, id est, perfectioni, parant, & se illibatos in domicilium sanctitatis obseruant. Nec eiusdem oblitus est Salomon, dum scripsit: Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.] Quoniam pauci sunt, qui in statu imbecillitatis positi, se ad quærendam sanctitatem fortitudine accingant. Si ergo perfecti rari sunt, & viri sancti paucissimi, profectò eorum vita internos inspicientium oculos in admirationem rapiet, & supra omnes humanas res stuporem, & extraxim excitabit. Itæ causæ sunt admirationis, inquit Augustinus, vel cum ratio cuiusdam rei lateret, vel eadem res vñtata non est, eo quod aut singularis, aut rara est. At quæ ratio, aut causa ratione sanctitatis occultior, quam humanus intellectus non capit: cur scilicet Deus, cuius incomprehensibilia sunt iudicia, & inuestigabiles, viæ, hunc hominem despectum, & pauperem efficaciter ad sanctitatem vocet, & multos nobiles, & diuites, & literatos non vocet? Aut quæ res vita perfecta singularior, aut rarior, quam nec nobilitas, aut claritudo sanguinis donat, nec opum multitudo parat, nec improbus labor infert, sed sola abundantissima gratia, & efficacissima summi Dei vocatio hominis industria comitata conquirat?

Habet quidem vita perfectorum tot stupenda, tot mirabilia, & humanæ vitæ cõtraria, vt vix stylus fatigatus, & ad finem huius tractationis properans, ad ea numeranda, aut colligenda sufficiat. Humana vita cor in sinistro latere ponit, & ideo rebus ad sinistra pertinetibus, id est, terrenis, adhæret, perfecta vita ipsam cor miro quodam modo ad dextrum latus transfert, dum affectum in rebus supernis constituit. Illa primum corpus auget, & ad iustam magnitudinem per-

A trahit, vt postea diminuat, & in mortem vsque deiciat: hæc spiritum promouet, vt nunquam in puritate decreseat, sed ad eius perfectionem adductus, semper in illa persistat. Illa ad filiorum procreationem, ne natura hominis pereat, importunè mouet, & libidinis faces corpori admouet: illa, quia à filiorum procreatione non pendet, & in seipsa sine carnali posteritate durat, ad omnem carnis & animæ puritatem vehementer instimulat. Illa extrorsus videt, & audit, gustat, odoratur, & tangit, quia res extra se positas diligit: hæc introrsus spiritualium sensuum actiones conuertit, quia Deum in medullis animæ residentem sitit, & esurit. Illa res mundanas loquitur, & negotia secularia tractat, & lucris terrenis inhiat: ista, caduca & visibilia præterit, vt in inuisibilem, & celestium possessione quiescat. Illa homines huius sæculi ad amorem honorum, & dignitatum, nec non ad desiderium opum & voluptatum instigat: hæc viros perfectos ad odium vitiorum, ad contemptum terrenorum, & ad studium omnis virtutis impellit. Viuunt ergo illi, & viuunt isti, sed illi secundum carnem, isti secundum spiritum. Illi vitam agunt communem, quam doctrinis carnis, & sanguinis dirigit; perfecti verò agunt vitam mirabilem, & omnibus intuentibus stupendam, quam Euangelium docet, Spiritus sanctus inspirat, gratia dicitur.

B Mirabilissimum enim est, homines ignorantes, aut non magis quam alij sapientes, naturam virtutum, quam eloqui nescirent, tam exquisitè cognoscere, & tam perfectè executioni mandare, & à rebus terrenis non tam auocatos quam auulsos, in mysteriorum celestium contemplatione suspendi. Mirabile est, homines pauperes, sine possessione auri, & argenti, aut eorum, quæ auro & argento cõmantur, diuites esse, & dum diuitias temporales aspernantur, opibus crescere, & omnes reges ac principes bonorū abundantia superare. Mirabile est, homines infirmos, & pusillanimes, sine clypeo, & galea, sine gladio, quo hostes offendant, in tantam fortitudinem deuenisse, vt dæmones rubore suffundant, totum infernum ad certamen prouocent, & aduersariarū potestatum vires irrideant. Mirabile est, homines, qui seipsos abscondunt, & velamine humilitatis occultant, ipsa absconsione sua multò melius fulgere, & inter alios homines splendidius emicare. Mirabiles planè sunt isti viri, in quibus tam stupenda mutatio facta est, vt pro vitis virtutes amant, pro honore ignominiam, pro abundantia penuriam, pro deliciis lacrymas, & singultus querant, & pro rebus mundi, quas antea tanto conatu dilexerant, res cœlestes; quas nunquam viderunt, tam ardentè concupiscant. Aut potius mirabilis Deus in illis; quia mirabilis Deus in sanctis suis,] quos ita fascinat & sapientissima, ac felicissima incantatione dementat, vt cor humanum illicentia & captiuitate non sentiant, & res diuinæ nunquam visas, sed tantum auditu perceptas, tam incredibili auiditate suspirent. Mirabilis planè Deus in sanctis suis, inquit Bernardus, non modò in cœlestibus, sed etiam in terrenis. Vtrobique sanctos habet, & in vtrisque mirabilis est: illos quidem beatificans, istos sanctificans. An experimentum queritis eius, de qua loquimur sanctitatis, & sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? Multi certè ex vobis, à peccatis, & vitis, in quibus computruerunt tamquam iumenta in stercore suo, exire viriliter: & quotidie impugnantibus eis potenter resistunt, iuxta Apostolum, qui de sanctis loquens vtrique: Conualuerunt, inquit de infirmitate, fortes facti sunt in bello.] Quid mirabilius, quando is, qui prius vix per biduum

Psal. 85.

Bern. ser.
1. in dedi-
cat. Eccl.

Hebr. 11.

poterat à luxuria, crapula, & comestationibus, & ebrietatibus, à cubilibus, & impudiciis, ceterisque similibus, & dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tota vtiq; vita sua: Quod magis miraculum, quando tot iuuenes, tot adolescentes, tot nobiles, vniuersi denique, quos hinc video, veluti in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi, quod in tanta perseverant afflictione penitentia, vltra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Et quidem attentè consideranti hæc, mirabilia miracula apparebunt, quàm vniuersa beneficia, quæ miraculosè corporibus exhibentur. Si enim mirabile est, si corpora suscitentur, quare non erit mirabile, quod animæ peccatis mortuæ, ad vitam spiritualem, ac perfectam reuocentur? Si mirabile est, quod cæcus videat, & surdus audiat, & mancus operetur, & plantæ claudorum consolidentur, cur non erit mirabile, quod oculi in terram defixi, cælum læti suscipiant, & aures peccatis obturatae, vocem Deiloquentis percipiant, & manus vinculis foecordia ligatae, pro virtute fortiter pugnent, & pedes prava consuetudine fracti, viam mandatorum percurrant? Si mirabile fuit, Petrum ad vocem Domini super vndas maris ambulare, cur nõ erit mirabile, virum perfectum terrena omnia, quæ instar aquæ defluunt, per eorum contemptum conculcare, & pessundare? Mirabilis sanè est vita perfecta, quàm tot miracula sequuntur, tot opera Dei mirabilia componunt.

Mat. 14.

Videbimus in ea illud mirabile facinus, quod Dominus in exitu Israël de Ægypto manifestè patrauit. In ea namque populi liberatione, miranda inter alia portenta, mare Rubrum in duas partes diuisum est, & postea Iordanis ad ortum, aut fontem suum retroactus est, vt dilecta plebs ad terram promissam sicco vestigio transfret; montes quoque transeuntium pedibus læti se submiserunt, & colles in conspectu eorum quasi lætati sunt, dum ipsorum iter non retardarunt. Mirabilis planè res, quam sacer vates in quodam Psalmo copiosè decantat. In exitu, inquit, Israël de Ægypto, domus Iacob, de populo barbato, mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium.] Sed eadem miracula non semel, sed sæpè, non sæpè tantum, sed perpetuò sunt in vita sanctorum, vt eam verè stupendam, ac mirabilem agnoscamus. In ea enim mare fugit, dum omnis iniquitas à sanctorum sinibus pulsa discedit. Iordanis retrogreditur, dum perfectorum affectus non ad commoda terrena querenda decurrunt, sed mirabili celeritate in fontem suum, hoc est in Deum, cuius quærunt obsequium, redeunt. Montes, & colles subsiliunt, dum ipsi perfecti affectibus, & operibus terram deserunt, & in Dei imitationem ascendunt. Exponat nobis Richardus Victorinus, quid sit in sanctorum vita mare fugere, Impietas, ait, mare est, dulcem siquidem aquam facere non potest, sed est aqua eius salsa valdè, & multum amara, & amaritudo eius amaritudo amarissima. Quid quæso dulcedinis habet inuidia? quid obsecro dulcoris habet iracundia? quid suauitatis impatientia? Huiusmodi (vt arbitror) aquæ amarae sunt, & mare faciunt, quia nulli penitus sapere, nemini placere possunt. Vidène ergo quale sit huiusmodi mare magnum, & spatiosum manibus, quod potest appellari malitiæ? Nam est & aliud, quod potest dici miseræ, habens & ipsum quidem minimè dulcem aquam, sed minis tamen amaram. Sed felix qui dominatur à mari vsque ad mare, vt nulli subiaceat culpæ, nulli succumbat pœnæ, in tantum vt non dominetur ei

Richard. de exterior. minatio. no mali. cap. 3.

A omnis iniquitas, nec eum opprimat vlla aduersitas. Felix ante cuius conspectum mare fugit, malitia recedit, miseria cedit, conscientia hilarescit. Numquid nam qui eiusmodi est, fiducialiter psallere non potest? Quid est tibi mare, quod fugisti? Explicet idem nobis, quid sit Iordanem retrorsum conuertit. Qualis quæso ista est, inquit, conuersio Iordanis, quam mirabilis, quàm laudabilis, quàm amabilis? Torum impetum amoris, totam inundationem dilectionis, totam affluentiam delectationis magna cum festinatione currere, non deorsum, sed sursum, quærere quæ sursum sunt, & non quæ super terram, ita vt veraciter profiteri possit, quia Iordanis conuersus est retrorsum? Pergat Augustinus enucleare, (à quo relatus contemplator prædictum sensum excerptit) quid sit, montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium.] Quid est, inquit, ô tot millia hominum toto orbe fidelium, huic mundo renunciarum, quod ad vestrum Dominum conuertimini? Quid est, quod gaudetis, quibus in fine dicitur: Euge serue bone, quoniam in paucis fidelis fuisti, supra multa te constituum? Quid est, quod gaudetis, quibus in fine dicitur: Benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi? Respondebit vobis hæc omnia, vósque ipsi respondebitis vobis: A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.] O igitur vita perfectorum mirabilis, in qua hæc mirabilia quotidie efficiuntur! O vita omni admiratione dignissima, à qua omnis iniquitas, quæ prius cor humanum operiebat, velocissimè fugit. Ita vt cor istud iam liberatum dicat: Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.] Et, A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.] Et, propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquitatis odio habui.] O vita magnum aspicientibus stuporem incutiens, in qua aquæ Iordanis, id est, desideria cordis, primum suum cursum figunt, dum anima dicit: Mihi autem adharere Deo bonum est.] Deinde aquæ inferiores decurrunt, atque deficiunt; quia renuit, inquit, consolari anima mea.] Et rursus: Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Ac tandem aquæ superiores intumescunt, ac in fontem currunt. Qua sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.] O vita cunctos intelligentes in extasim rapiens, in qua immobiles montes, & firmi colles subsiliunt, & ad modum arietum, & agnorum ludentibus exultant, dum illi, qui in terrenis hæserant, in caelestem conuersionem properant, & se à luto rerum visibilibus diuellunt.

Ibid. c. 4.

Psal. 113.

Augu. 15. Psal. 113. condit. 1.

Matt. 25.

Psal. 113.

Psal. 118.

Psal. 72.

Iob 7.

Psal. 41.

Sed quod in hac perfectorum vita mihi mirabilis videtur, est, quod sibiipsis vim inferunt, & omnia mundi magnifica, & honorabilia, & delectabilia relinquunt, & in futura numquam visa contendunt, non timore compulsi, non spe præmiorum inuitati, sed solo amore sui conditoris illecti. Non timore compulsi, quia timorem seruilem foras iecerunt, cum perfecta charitas foras mittat timorem.] Non spe incitati, non quia non sperent ineffabilia præmia, sed quia perfecta charitas magnam mercedem habens, mercedem non respicit. Sed solo igne amoris illecti, quoniam etsi non essent minæ penarum, quæ ipsos à malis abducerent, etsi non essent præmia, quæ eos ad bonum incitarent, propter solam Dei bonitatem omnia mala fugerent, omnia terrena contemnerent, omnes suos affectus comprimerent, & soli Deo totis præcordiis inhærent. A facie Domini, ait sanctus Dauid, mota est terra, à facie Dei Iacob.] Corda, inquam, terrena,

1. Ioan. 4.

Psal. 113.

quæ

qua peccatorum onere praeuata pigra remanescant, mora sunt in bonum, vt in studium virtutis celeriter currerent. Non à facie poenarum, quas (vt iniqui dicunt) post voluptuosam, aut segnem vitam sera quadam, sed vera poenitentia forsitan euaderent. Non à facie praemiorum, quae conseruata gratia, licet imperfectionibus habenas laxarent, post ignem purgatorium in aliquo saltem gradu non perderent. Sed à facie ipsius Domini, eius praesentia confirmati, eius pulchritudine ducti, eius amore compediti, sine villo respectu mercedis aut poenae peccata repellunt, vitia extinguunt, affectus vincunt, virtutibus student, & solius Dei esurie & siti tenentur. Non illis Domine, non illis, sed nomini tuo da gloriam.] Nomini, inquam, tuo, & virtuti tuae horum miraculorum gloria canatur, qui propter misericordiam tuam, & veritatem tuam sanctos eligis, & in gloriosam dignitatem adducis: Eorum vita verè mirabilis ex eo, quod à te habet; ex eo quod te superant superat, & te donante conquirat. Sed tu mirabilior in ea, quia vniuersa, quibus ipsa mirabilis videretur, ex te, & per te, & in te largissimo datore consequitur.

Quam pretiosa sit perfectorum mors.

CAPVT XXXV.

SANCTAM ac mirabilem vitam, sancta & pretiosa mors sequatur, necesse est, vt finis principio congruat, & initium mercedis cum labore conueniat. Quare perfecti, qui sanctè viuunt, & in terris sine querela conuersantur, sancta & tranquilla morte solent hinc emigrare. Hanc mortem, vt rem desiderabilem, optauit Balaam, qui filiis Israël bona precari compulsum, inter alia dixit: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.] Magna quidem, & superba praesumptio: ille enim qui malè vixit, voluit bene mori, & qui in vita, iustorum conuictum auersatus est, in morte ipsorum consortium concupiuit. Cuius inanes fuere conatus, quia post iniquam vitam mala morte è viuis excessit, & inter hostium mucrones expirauit. Hanc iustorum mortem vt fortem felicem laudauit sanctus Dauid, cuius carmen est. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.] Pretiosa quidem, siue quia vt fortem magni valoris non permittit Dominus passim & temerè ab impiis inferri; siue quia pro ea cohonestanda, atque lenienda, filius ipse Dei non erubuit carnem induere: siue quia huiusmodi mortem consuevit mercede amplissima remunerare. Hanc tandem Eleazarus vir sapiens & nobilis, & aetate prouectus, in qua non temeritate abripiebatur, sed prudentia regebatur, vitæ & amicitiae iniqui regis, & magnis diuitiis praeposuit: Qui pro custodia diuinæ legis gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntariè praebat ad supplicium, vt iuuenibus exemplum fortitudinis & toti populo eximiae virtutis suae immortalis memoriam dereliqueret.] Mors ita ab omnibus etiam iniustis & sceleratis optata, ita à prophetis, & spiritu diuino plenis laudata, ita à sapientibus, & prudentibus vitæ praeposita, aliquid magnum & pretiosum habet absconditum, cuius gratia ipsa est bona, atque pretiosa. Et quidem ita est: Nam hæc iustorum mors, finis est laborum, principium quietis; fuga tristitiae, & aduentus latitiae: sedatio tempestatis, & initium tranquillitatis: consummatio exilij & reditu in patriam in quam tot periculis superatis, tot laboribus exan-

latis, & tot afflictionibus sustentatis conati sumus repedare.

Mortem ergo perfectorum quidam Dei afflatu permoti, ardentè desiderant; quidam verò patienter expectant. Illi desiderant, qui amore caelestium illecti cum Paulo clamant: Cupio dissolui & esse cum Christo.] Isti autem expectant, qui voluntate amplius proficiendi detenti, non èd vsque progrediuntur, vt ad desiderium relinquendæ mortalitatis ascendant. Cupiunt itaque mortem nonnulli perfecti, quia sciunt se per mortem cum statum adepturos, in quo nullo peccato feriantur, nulla imperfectione fuscantur: in quo iniuriam diuinæ maiestatis nullam videant, & in omnibus eius voluntatis adimplerionem aduertant: in quo sine vlla intermissione Deum ament, clarè aspiciant, & sine timore possideant. Et quia pro hoc statu ardentè suspirant, ianuam eius, scilicet mortem, etsi naturæ horribilem, gratiæ tamen, quam acceperunt, desiderabilem putant. Quotidie clamât illi non tam vocis sono, quam cordis affectu, fiat voluntas tua; Jamant ergo mortem, & dum differtur, exoptant, quam hac voluntate Dei inuolutam esse conspiciunt. Ne verbis Cypriani corripiantur, qui ait: Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Deus quotidie iussit orare. Quam praeposterum est, quamque peruersum, vt cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos, & accessit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus? Hoc nitimur, & reluctamur peruicacium more seruorum, ad conspectum Domini cum tristitia, & timore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo non obsequio voluntatis, & volumus ab eo praemiis caelestibus honorari, ad quem venimus inuiti. Quid ergo rogamus & petimus, vt adueniat regnum caelorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poscimus, vt acceleret dies regni, si maiora desideria & vota poriora sunt seruire istinc diabolo, quam regnare cum Christo?] Erubescerent perfecti viri, si hæc acris sancti Doctoris inuectio in eos aliqua ratione quadraret, & ideo mortem, quæ ianua est regni, non tam timendam quam desiderandam existimant. Alij autem eodem spiritu, sed dissimili affectu, licet viuere cupiant, tamen mortem venientem, antequam optabant, cum magna æquanimitate sustentant. Viuere quidem cupiunt, ne vt ipsi aiunt, hinc pusilli, & imparati discedant; dicentes cum Iob: Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.] Dolorem suum dicunt non profecisse, nec ad cupitam puritatem euolasse. Et rursus illud: Remitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam; id est, dimitte me, vt amplius concupiscentiam vincam, & eam refrigerio sanctitatis euacuem, priusquam hinc ad vitam aliam secedam. At si ante suum desiderium mors appropinquet, non impatienter ferunt. Malunt enim ad voluntatem Domini emigrare pusilli, quam præter eius voluntatem ad crescendo permanere.

Sed tam isti, quam illi mortem planè sibi bonam, & necessariam iudicant, & ad eam se bonis operibus, & sanctis meditationibus praeparant. Hoc enim est, secundum beatum Ephraem, in recordatione mortis iustorum iniquorumque; discrimen, quod illi mortè ob oculos habent, vt noctes atque dies, orationes atque supplicationes Deo effundant, vt ad aternam requiem deueniant, & tormenta parata iniquis euadant. Hi verò nudam habent mortis memoriam, non vt vitam emendent, sed vt abscissum opum voluptatumque deplorent.] Meritò autem iusti, & praecipuè viri sancti, atque per-

Philip. 4.

Matth. 6.
Cyp. lib.
6. de Mor
talitate.

Nam. 3.

Pf. 115.

2. Nact.
6.

Iob 10.

Psal. 38.

Ephram
de record.
mortis.

Bern. in
transitu
Malach.

fecti mortem sibi bonam existimant, quoniam mori-
tates, peccata, & pericula, & labores huius vite mor-
talis fugiunt, & ad multis desiderijs optatam securi-
tatem perueniunt. Triplex in morte congratulatio est
hominis, inquit Bernardus, ab omni peccato, & labo-
re, & periculo liberari. Ex hoc siquidem nec peccatū
in eo habitare dicitur, nec poenitentiae luctus indicit-
tur, nec ab illo deinceps lapsu ei praedicatur esse cau-
dum. Posuit Helias pallium, non est quod timeat, non
est quod tangi, nec tū teneri ab adultera vereatur. Cur-
rum conscendit, non est iam trepidare, ne cadat: sua-
uiter scandit, non laborans volatu proprio, sed celeri
in vehiculo sedens.] Nec eos à mortis desiderio, aut
a quamvis expectatione terrena retardat, quia illa nec
amant, nec magnificiunt, imò verissimè parui pen-
dunt, & quae ablegare non possunt, pro sola huius vi-
tae necessitate suscipiunt. Non verò cum dolore relin-
quitur, quod sine amore possidetur. Omnis eorū co-
natus est, se ad iter accingere, & bonis operibus, &
importunis postulationibus ad ingressum patriae cae-
lestis prae parare. Ita namque de morte cogitant, quasi
de transmigratione quadam ad vitam meliorem: vnde
ea parant, quae in illa vita, atque felicissimo statu eis
vlti esse poterūt: cuiusmodi sunt pura cogitationes,
sancta desideria, studiosa opera, & pij pro fide, pro
virtute, pro pietate suscepti labores. Hanc verò esse
perfectorū de morte cogitationē, ipsa vox, qua mor-
tem nuncupant, manifestè patefacit, vocat enim eam
viam, siue ab hoc exilio discessionem. Atque ad eò
Abraham ad Dominum ait: Ego vadam absq; liberis,
& haeres meus erit, filius procuratoris domus meae
iste Damascus Eliezer.] Quid est, ego vadam, nisi ego
moriar, atq; ex hac vita decedam? Vide, inquit Chry-
sostomus, quomodo prae se illis saeculis iustus ille
philosophabatur. Nā qui vitam honestè, & in virtu-
tibus egerunt, quādo ex hac vita emigrant, verè libe-
ratur, & quasi soluantur à certaminibus, & à vinculis
relaxantur. Est enim mors his, qui bene viuunt, transla-
tio quaedam ad meliora: à momentanea vita ad perpetu-
am & immortalem finemque non habentē.] Parat
itaque se perfecti ad mortem ea mētis tranquillitate,
qua se accingunt viatores ad viam. Nec aliud putant
esse mori, quāam à vita aruinosa discedere, & ad ci-
uitatē permanentem, & semper duraturā appropriare,
Et quemadmodū illi, qui alicuius lucri gratia in par-
uulum vicum ex vrbe venerunt, accepta re, quam cu-
piebant, ad urbem desiderant remeare, & instatē re-
uersionis tempore, laetabundū vicū deserunt, & onusti
opibus in patriā redeunt: ita perfecti, qui in hoc nati
sunt, vt Christi gratiam, & mētis puritatem lucraren-
tur, ea quae vita non sine laetitia, vt in caelum veniant,
ex hoc mundo tamquam ex miserabili pauperū vico
discedunt. Quod in illo beato sene non tā adombra-
tum, quāam exprellum videmus, qui cum Christi felici
conspetu frui ardentissimè concupisceret, eo viso,
atq; in vlnas reuerterē suscepto, in has voces erupit:
Nunc dimittis seruum tuum Domine secundū ver-
bum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare
tuum.] Idem omnino non semel perfecti faciunt, qui
Christum non tam in vlnis, quāam in corde contem-
plantes, & se beneficio Domini pretiosis mercibus,
id est, meritis, velut dirissimas naues oneratos viden-
tes, è terra peregrina solui, & iam dimitti, & in por-
tum aeternitatis festinare desiderant.

Gen. 15.

Chry. l. 6.
36. in Ge-
nes.

Luc. 2.

Laborant illi strenuè, vt post laborē suauiter dor-
miant, & securè quiescant. Qui enim somni delecta-
tione priuati cupiunt tranquillè & profundè dormi-
re, solent corpus laboribus exercere, & itinere, aut
oneris portatione aut honesta agitatione aliquantū-
lūm fatigare, vt somnus ab oculis cupientis dormire

A non fugiat; ita sancti, qui sanctam, & quietam dor-
mitionem expectant, qua corpus in terra communi
omniū matre, & anima in sinu Domini lata, requie-
scant, pijs se laboribus occupant, & mandatorum, ac
consiliorum onere premunt, vt feliciter lassatis dul-
cis & suavis somnus adueniat. Ergo mors est som-
nus? Ita sanè, dum iustos & sanctos in suam regio-
nem deducit. Quae enim malis vera mors est, eos
omnibus huius vitae & futurae bonis spoliatis, iustus
somnia est, quo, vt quietus sit, ad tempus, huius mundi
bonis veluti indumentis nudantur, & in illa aeterni-
tatis vigilia dormiendi tempore elapso, & resurgen-
di momento accedente, supra bona animae bonis
etiam corporis honestentur. Deinde, inquit Paulus,
visus est Dominus plusquam quingentis fratribus si-
mul; ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam
autem dormierūt.] Et rursus: Nolimus vos ignorare
fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut &
ceteri, qui spem non habent. Et Ambrosius illud
Danielis interpretans: Multi de his, qui dormiunt in
terra puluere cuigilant,] ait: Bene dormientium
dixit quietem, vt intelligas mortem non esse perpetu-
am, quae somni vice inicitur ad tempus, & ad tempus
excluditur. Meliorēq; profectū vitae eius ostendit,
quae futura post mortē est, quāam eius quae ante mor-
tem merore ac dolore transigitur. Si quidē illa stel-
lis comparatur, haec aruinā addicitur.] Haec autem
inquit, quia Daniel iustos post mortem firmamenti
splendori, & stellis comparauit, Et Basilius, inquit,
somnia iustus est mors. Imò magis migratio ad vitam
meliorem.] Hinc est, quod martyres exultant, dum
trucidantur. Nam desiderium felicioris vitae iugula-
tionis dolorem extinguit, & emortuum reddit. Et
dēum Bernardus: Fratres, amici Dei mori videntur
oculis insipientium, sed in oculis sapientium iudi-
cantur potius obdormire. Denique & Lazarus ob-
dormiebat, quia amicus erat: & cum dederit electis
suis somnū, ecce hereditas Domini.] Quia ergo sancti
mortem suam, sicut reuerfa est somnum existimant,
ided se ad eam sine vlla molestia ac perturbatione
capiendā sanctis laboribus parant, & res terrenas nisi
ad necessitatem, & cum districta mensura subire de-
trectant. Mysterium namq; illud sententiā sapientis
intelligunt. Quam sufficiens est homini erudito vi-
num exiguum, & in dormiendo nō laborabis ab illo,
& nō senties dolorem.] Intelligunt, inquam, quia ho-
mini ad vitam istam transigendam vinum exiguum,
id est pauca temporalia sufficiunt. Quae moderatē
sumpta, & sine animi adhaesione ad vsum accepta,
tempore dormitionis vel mortis, mentem non tur-
bant, nec spina conscientiae prauae, aut peccati dolore
molestant. Hoc igitur perfecti faciunt in vita, seipsos
ad capiendum somnum exercere, in quo quicquid est
mortale pereat, quicquid est infirmum, & noxium,
deficiat, vt robustum & pulchrum gloriae resurgat.
Hoc faciunt, se ad iter prae parare, & omnia quae pos-
sunt in aeternam ciuitatem praemittere, vt ibi, quas
in perpetuum possideant, numquam perituras diui-
tias inueniant.

E Cū ergo tempus mortis, & hora transitus appropin-
quat, non tristitia absorbentur, non desiderio vi-
uendi opprimuntur, non timore immoderato tur-
bantur, sed cognitione aeternitatis instructi, & amore
diuinitatis inflammati timore naturalem cohobent
(faciente hoc efficacissima gratia Dei) & cum summa
tranquillitate communem naturae necessitatem exci-
piunt. In ea hora sui composites facti, non miseram ho-
minis sortem desunt, non amissionem rerum tempo-
ralium deplorant, sed seipsos Creatori, quem ama-
runt, & cui obsequi sunt, cū fiducia commendat, &

1. Cor. 15

Dan. 12.
Ambros.
orat. 2. de
fide resur-
re. ante
nud.

Basil. h. 8
de Basila
Marty.

Bern. ser.
3. Petri
& Paul.
Ioan. 11.
Ps. 116.

Ecc. 31.

adhuc

adhuc extremam spiritum agentes, pro eius gloria ea loquuntur, quæ præsentem ad virtutem colendam disponant. Sic Ioannes in carcere gladium licitoris expectans, qui sacrum caput amputaret, mittit duos ex discipulis suis, qui Christum, quis esset, interrogarent, & sic verum Salvatorem, cuius ipse erat præcursor, agnoscerent.] Neque enim timor immaturæ mortis illum pusillanimitem fecerat, quominus salutem discipulorum curaret. Sic Iosue diem postremum claudens sibi populum cõmendatum vocavit, & Dei erga omnes, beneficis commemoratis, ad diuinæ legis custodiam, & Dei cultum hortatus est. Sic Dauid imminente dormitionis tempore, Salomonem, suæ dominationis hæredem, præceptis salutis, & bonæ gubernationis documentis instruit. Sic Tobias hora mortis (vt ipse putabat) instare, filium etiam suum, & in eo vniuersos mortales plenissima notitia sanctissimæ legis instruit. Sic Antonius iam discessurus in cœlum, suis discipulis vitæ monita dedit. Sic Dominicus acri febre correptus, & in certamine cum morte congressus, sui ordinis fratres ad innocentiam, & integritatem incitauit, & charitatem, humilitatem, paupertatem tamquam eorum patrimonium eis ex testamento reliquit. Sic Franciscus spiritum Deo reddens, minoribus suis in terra, & magis in cœlo, salutaris admonitiones ingessit, & sanctæ fidei Romanæ custodiam, ac reuerentiam præcepit. Sic Ignatius noster, dum hora mortis minimæ Societatis filius, præ humilitate maxima perfectionis monita dare recusat, quasi esset incolumis, cum incredibili tranquillitate incidens tunc negotium tractat, & nihil in modo viuendi, ac conuersandi mutans, se omnibus, quæ agebat, ad mortem præparari manifestat. Vnde sanctis, & perfectis viris in omnium terribilissimo (quod vocauit philosophus) tanta quies, vnde tanta fiducia, vnde tanta tranquillitas? nisi ex vitæ puritate profecta est, & ex abundantia gratiæ, quæ naturam ipsam titubantem, & se præ timiditate turbantem corroborat, & puras animas è vinculis carnis exiunt, spe melioris vitæ fortificat? Quis enim, vt Cyprianus ait, non ad meliora festinet? Quis non mutari, & reformari ad Christi speciem, & ad cœlestis gratiæ dignitatem venire citius exoptet? Quis non peregrè constitutus, properet in patriam redire? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Sicut ergo Christus post resurrectionem suam ascensus in cœlum, discipulos in vnum collectos increpuit, & de rebus pertinentibus ad fidei prædicationem admonuit: ita perfecti, qui hanc repositam habent spem in sinu suo, quod cœlum perunt, & ab origine mundi regnum sibi paratum accipiunt, non timent ad discipulos suos verba admonitionis facere, & suum illis auxilium promittere. Certus sum, inquit Petrus; quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod, & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autè operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.] Rectè quidem. Si enim tabernaculi onere prægrauatus, ita fortis erat, vt fideles orationis virtute sustentaret, quantò melius deposito carnem onere, & à vinculis mortalitatis exolutus, poterit Domini indignatione influctere, & gratiæ impetratione corda hominum emollire? Imò quem admodum Saluator noster calicem acerbissimæ mortis exhauciens, ita tràquillus erat, vt pro inimicis oraret, latroni regnū promitteret, matrè discipulo cõmendarer, sui doloris excessum, & salutis nostræ sitim, & verissimam obedientiam panderet, & ad Patrem spiritum mitteret: sic viri sancti mēbra viuæ Christi, ex capite

A suo fortitudine, & tranquillitatem mutuantes, sciūt ad mortis præsentiam mētis lucem seruare, & ac si non esset vi dolorū oppressi, astitibus viā salutis aperire.
 Iam pugna mortalitatis, & mortis accedit, iam mors gladium eximit, & infirmam naturam cædit, iam homo perfectus naturali pugne non valens resistere, victus, ac prostratus succumbit, & tamen suavissimè spiritum reddit, quia amaritudinem mortis, & sensum doloris magna ex parte imminutum & moderatum aduertit. Hunc dolorem in nonnullis sanctis præmissa illustratio minuit. Nonnumquam enim, vt Gregorius ait, omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius reuelationibus roborat, vt in morte minimè pertimescant.] In aliis terrenorū contemptio leuat; quia quæ non amant, siue tristitia, aut molestia deserūt, imò quæ sancto odio prosequuntur, cum gaudio & lætitia relinquunt. In aliis desiderium habitationis cœlestis, & expectatio diuinæ visionis extenuat: nam si patriæ memoria labore longissimi itineris aufert, cur recordatio illius nostræ ciuitatis in qua sancti regnaturi sunt, magna ex parte mortis merum & trepidationem non tollat? In aliis peccatorum & defectuum liberatio, quæ vident morte consumi, & quam assequuntur, diuinæ voluntatis impletio sopit; animi enim puritas, & cum diuina voluntate plena concordia, non magni constat, si temporalis mors, vt pretium à nobis oblatū coemat. In aliis ipsa consuetudo moriendi mundo, & abnegandi seipso mortis dolorem deprimit. Nam, vt dixit Bernardus, omnis tēporalis dolor, aut de remedio consolatione recipiet, aut de assiduitate stuporem: & ideo qui semper mori consuevit, & se delectationibus mundi priuare, mundū omnino deserere non multū sentiet.] In aliis ipsa corporis imbecillitas, quæ nonnulla est mortis inchoatio, dolorem istum debilitat, quoniā ibi facilis est pugna, vbi non est, qui resistat, aut qui cōtrariis motibus hostem irruentem auertat. Ac tandem omnes iustos Christus in hora mortis suavissimè recreat. Vnde vincenti apud Ioannem promittitur stella matutina, quæ ipsum Saluatorem nostrum designat. Nam sicut stella matutina finis est noctis, & diei adueniens exordium: ita Christus viris perfectis extremum spiritum agentibus aut visibiliter, aut inuisibiliter adest, & vitæ huius obscuritatem terminat, vt vitæ æternæ iam instantis claritatem incipiat. Hæc omnia, quæ terigimus in viris sanctis & iustis, nō modicum de dolore mortis detrahunt. Quare quieti, & imperurbati in Angelorum & sanctorum præsentia, quos aliquando visibiliter vident, aliquando inuisibiliter adesse sentiunt, purum spiritum creatoris resitiunt. Quem præsentem Angeli ouantes excipiunt, & si aliquid scoriæ habeat, in conflatorem ignis purgantis mittunt, vt purissimus effectus in destinatam sedē accutrat. Corpora verò perfectorum à puris iam mētibus derelicta, in signum præsentis mentiū gloriæ, & futuræ, quæ ipsis referuata est, pulchra & decora manent, & ac si obdormiscerent tantū, læta, & serena, & membris ita flexilia, & suauis odore referta, vt non tam vitam finisse, quàm cœpisse videantur. Quod & in Honofrio anachoreta, & in Sertulo paralytico; & in beato Francisco, & beato Laurētio Iustiano qui aderant, manifestè perceperunt. Quorum illi primi cœlestem odorem è mortuis corporibus protulerūt; duo verò postremi pulcherrimo rubore post mortē perfusi, & admirabili pulchritudine decorati, quàm puram, & formosam animam prætulerunt, declarauerunt. Longum autem esset sanctorum nunc historias euoluere, & innumerabilia huius rei exempla referre; quæ, ne prolixi simus, consultò aliis in voluminibus inuenienda prætermittimus.

Grego. 4.
dialogi. 6.
47.

Bern. lib.
de consi-
derat. in
principio.

Apo. 2.

O igitur felix, ac beata sanctorum mors, quam A
 tot ac tanta bona nobilitant! Quis enim somnū non
 amet, ex quo in vitam immortalē erigilet? Quis non
 peregrinationem suscipiat, nō iam vt sanctorum re-
 liquias veneretur, sed vt sanctis sanctus factus affi-
 deat? Quis nō libens se dedat itineri, quo in patriam
 desideratam veniat? Quis non transitum à terra in
 cœlum, ab exilio in regale palatium, à mortalitate ad
 immortalitatem gaudens, exultansq; suscipiat? Quis
 non calicem amarum dispensatione Domini edulca-
 tum gustet? Quis non carcerem exeat, ergastulum
 fugiat, peccandi occasiones relinquat? Quis non in
 curiam regiā triūphator ascendat, in qua eum Angeli
 ob victorias de mūdo, de diabolo, & de carne repor-
 tatas, coronatum, læti, & exultantes excipiant? Quis
 tandem non alacer reuertatur in domum suam, vbi
 eos amplectetur, quos aut ex facie nouit, aut nosse de-
 siderauit, & cum eis semper viuere concupiuit? Hæc
 autem domus patriæ cœlestis est, quam iustis, clauis
 mortis aperit, vbi eos charorum numerus expectat
 (vt verbis Cypriani vtar) patrum, fratrum, filiorum,
 frequens eos, & copiosa turba desiderat, iā de sua im-
 mortalitate secura, & adhuc de eorū, quos diligunt,
 mortalitate sollicita. Omnibus quidem moriēdum,
 & hinc emigrandum est; sed si tu vis, vt perfectus vir
 mori, & ex hoc sæculo securè, & sine timore, & ala-
 criter emigrare, imitare perfectos in vita, vt in morte
 etiam imiteris. Volo te, inquit Bernardus, mortē, etsi
 non effugere, certè vel nō timere. Iustus quippe mor-
 tem, etsi non cauet, tamen non pauet. Denique si
 morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Mori-
 tur quidem iustus, sed securè, quippe cuius mors, vt
 præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona
 mors, si peccato moriaris, vt iustitiæ viuas. Hæc mors
 necesse est, vt præcurrat, vt sequatur illa secura. In hac
 vita, quamdiu durat, compara tibi illam, quæ semper
 durat. Dū viuus in carne, morere mūdo, vt post mor-
 tem carnis Deo viuere incipias. Quid enim si con-
 ciderit mors faccū corporis tui, dum te subinde circū-
 derit lætitia? O quæ beati mortui, qui in Domino mori-
 untur, audientes à spiritu, vt requiescant iam à la-
 boribus suis. Non solum autem, sed & succedit iu-
 cunditas de nouitate, ac de æternitate securitas. Bona
 proinde mors iusti propter requiem, melior propter
 nouitatem, optima propter securitatem. Discamus itaque mori,
 vt bene moriamur, quia nemo bene facit, quod nūquam præstare didicit. Viuamus sanctè,
 vt in perpetuum viuamus. Colamus perfectam iustitiam,
 quæ nos in vita dirigat per semitas æquitatis, & in morte defendat ab operariis iniqui-
 tatis, & post mortē in sedes immortalitatis deducat.

Quam ineffabile sit perfectorum præmium.

CAPVT XXXVI.

POST mortem, iusti in palatium æterni
 Regis non sine gloriosissimo triumpho
 exultantes introeunt, & gloriæ coronam,
 quam suis laboribus obtinuerunt, cum eximia lau-
 de recipiunt. Non est autem propositi nostri san-
 ctorum statum in vita futura, ac immensam iusto-
 rum gloriam, declarare, sed solum pro facultate
 nostra, quantum gloria perfectorum, communium
 iustorum præmium excellat, ex nonnullis sacræ
 Scripturæ testimoniis, & ex quibusdam coniecturis
 colligere. Omnes enim iusti, siue qui in hac vita
 tepidè & imperfectè vixerunt, siue qui viam man-
 datorum, & consiliorum currentes, ad perfectionem
 enolarunt, æternum præmium suis meritis satis im-
 par consequentur. Omnes Deum facie ad faciem vi-

debunt: omnes Deum sui operis denarium posside-
 bunt: omnes eum sine vlla intermissione amabunt;
 omnes sine cessatione laudabunt: omnes ineffabili
 gaudio suo sine peruentur: omnes gloriosis dotibus
 vestientur, & fugata omni tristitia atque miseria, om-
 nis felicitas & lætitia veniet eis. Nullus erit iustus, qui
 non de iucunda societate Angelorum, & sanctorum
 gaudeat; qui nō Beatissimæ Virginis pulchritudinem
 videat: qui non conspectu humanitatis Christi Sal-
 uatoris nostri fruatur; & omnium bonorum posses-
 sione lætetur. Vna erit in cœlo vniuersorū iustorum
 ciuitas, vna cōmunis habitatio, vnus cibus, & potus,
 qui in gustu diuinæ claritatis consistet, vnum indu-
 menti genus, quia omnes gloria & splendore fulge-
 bunt, & vna actio, qua Deum vidēdo tenebūt, tenen-
 do gaudebunt, & gaudendo cum summa exultatione
 laudabūt. Nulla erit ibi tristitia, vt Hugo ait, nulla an-
 gustia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor,
 nulla mors, sed perpetua fanitas semper perseverat.
 Nō surgit ibi malitia, nec carnis miseria. Nulla est ibi
 ægritudo, nulla omnino necessitas. Nō est ibi fames,
 non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo ieiunij,
 nec vlla tentatio inimici; non peccandi voluntas, nec
 delinquendi facultas, sed totum lætitia, totum exul-
 tatio possidebit: hominēsque Angelis sociati, sine vl-
 la carnis infirmitate in perpetuum manebunt. Ibi
 erit iucunditas infinita, beatitudo sempiterna. In qua
 qui semper adipiscitur, sēper tenetur. Ibi est requies
 à laboribus, pax ab hostibus, amœnitas de nouitate,
 securitas de æternitate, suauitas atque dulcedo de
 Dei visione. Non ergo dubium, quin omnes præ-
 destinati, futuri sint beati, & omnes pro labore suo
 denarium gloriæ, & beatificæ visionis accipient.

At in receptione huius gloriæ, ac in eius qualita-
 te, magna erit iustorū imperfectorum perfectorū-
 que diuersitas. Qui enim iusti in hac vita tepidè im-
 perfectèq; vixerunt, prius quam in cœlestes sedes ad-
 mittantur, terribili igne, & longissima duratione, prout
 exiget imperfectionū multitudo, in purgatorio mū-
 dabuntur; qui verò perfectè sanctamq; vitam colue-
 runt, aut momento purgati (si aliquid purgandū ha-
 beant) ab igne secedent, aut si nihil imperfectum de-
 ferant, absq; latione purgantis ignis, in cœlum euo-
 labūt. De illis inquit Paulus: Si cuius opus arserit, de-
 trimentum patietur ipse autem saluus erit: sic tamen
 quasi per ignem. Nam qui opera habuerit imperfec-
 tionum plena, quæ ignis exurat, combustionem suarum
 miseriarum expectabit, & molestissimum dolo-
 rem sentiet, & tandē bene purgatus, & dirissimè fla-
 gellatus, ad locum salutis transibit. Et Dominus: Est
 cōsentiens aduersario tuo citè dum es in via cum eo;
 ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat
 te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi,
 non exies inde, donec reddas nouissimum quadran-
 tem. Aduersarium nostrum vocat conscientiam nos-
 tram, eo quod semper de malis nos redarguat, ac re-
 prehendat, & pacem cum peccantibus habere nolit.
 Huic aduersus imperfectiones, & tepiditates nostras
 latranti, obediendum est, nam si nos in carcerem tru-
 serit, vbi peccata purgātur, non exiemus inde, quous-
 que sine vlla remissione, minima etiam non rectè fa-
 cta soluerimus: De perfectis autem idem Paulus ait:
 Si cuius opus manserit, quod super a diffcauit, merce-
 dē accipiet. Id est, si alicuius opus tale fuerit, vt nihil
 habeat, quod ignis absumat, statim sine vlla mora
 præmiū æternæ vitæ recipiet. Dominus quoq; istum
 blandissima voce cōpellat, dicens: Euge serue bone, &
 fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te
 cōstituiam, intra in gaudiū Domini tui. Felicitus est è
 lecto in cœlum euolare, quàm è lecto in ignem de-

Hug. lib.
1. de Ani-
ma. c. 17.

Cyprian.
ser. de im-
mortali-
tate.

Ber. ep. 11.
Sap. 4.

Apo. 14.

1. Cor. 3.

Matt. 5.

1. Cor. 3.

Matt. 25.

mergi,

Bern. ser. de obitu Humberti ad finem.

Gregor. 4. dialo. c. 25.

Luc. 17.

Philip. 1.

2. Cor. 5.

2. Cor. 9.

Rom. 2. 2. Cor. 5.

Luc. 19.

Greg. 4. mor. c. 42.

mergi, & ex igne in caelum percutit. Ergo prudentissimum est a leuioribus peccatis, & imperfectionibus abstinere, & viam perfectionis arripere. Illa enim peccata, licet sint leuia, ignis vehemens castigabit, & vorax flamma deterget. Quare sapienter Bernardus ait: Volat irrevocabile tempus, & dum creditis vos cauere poenam istam minimam, incurritis amplioem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis multipliciter, quae fuerint hic neglecta, reddentur vsq; ad nouissimam quadrantem. Scio ego, quia durum est homini, dissoluto apprehendere disciplinam, verbo silo silentium pati, vagari solito stabilem permanere; sed durius & multo durius erit futuras illas molestias tolerare. At istam vitam perfectam, & leuia peccata, ac imperfectiones cauente, statim amplissima gloria suscipiet. Quod Gregorius palam attestatur, in hunc modum scribens: Luce clarius constat, quia perfectorum animae, mox ut huius carnis claustra exeunt, in caelestis regni sedibus recipiuntur: quod & ipsa per se veritas attestatur, dicens: Vbi cumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilae. Quia vbi ipse Redemptor noster est corpore, illuc proculdubio colliguntur iustorum animae. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Qui ergo Christum in caelo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in caelo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis, atq; de in habitatione caelestis patrie dicit: Scimus, quonia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod aedificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed aeternam in caelis. Hoc itaque primum sit gloriae iustorum imperfectorum, perfectorumq; discrimen, quod illi tamquam metalla terrae mista, & tamquam aera rubigine sordentia prius terribili igne purgantur, quam in Regis regum thesauros recondantur, & loca animarum sanctarum occurrent; hi vero tamquam aurum purissimum, & quasi argentum purgatum, & nulla terrena contagione sordidum, sine vlla mora in caelestes mansiones ascendunt, & coetibus Angelorum se inferunt.

Aletum vero discrimen est, quod iusti imperfecti minorem gloriam, at perfecti maiorem gloriam accipiunt. Nam qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et licet illud parcum, aut tenue, quod imperfecti ex semine a se iacto, id est, ex vita iusta, sed imperfecta merent, supra modum in sublimitate omnes mundi diuitias, ac voluptates, ac omnem saeculi dignitatem, & gloriam superet, faciente hoc Deo, ut modicum seminis granum in tanta maiestate ac gloriam assurgat; tamen si cum eo, quod perfecti in benedictionibus merent, conferatur, fructus est modicus, & exiguus. Dominus etiam redditurus est vnicuique secundum opera sua. Et omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Quare qui magna bona gessit, magnis bonis ditabitur, & qui pauca gessit, minora recipiet. Quod & illa parabola hominis nobilis abeuntis in regionem longinquam, accipere sibi regnum, manifeste designat. Is enim seruo, qui decem minis acceptis, aliis decem acquisierat, dixit: Euge bone serue, eris potestate habes super decem ciuitates. Alteri vero, qui minis quinque, alias quinque lucratus fuerat, dixit: Et tu esto super quinque ciuitates. Hac parabola innuens pro maiori, aut minori merito, maiorem, aut minorem futuram esse gloriae ac dignitatis mensuram. Idque, sancti Ecclesiae doctores aperitissime docent. Gregorius enim ait: Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illis alius alium retributione

A transcendat. Vnde in Euangelio veritas dicitur: in domo patris mei mansiones multae sunt. Sed in eisdem multis mansionibus erit in aliquo ipsa retributionum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exulset. Bernardus autem sic scribit, Prudenter dilectissimi, & vtiliter elegistis propter verba laborum eius custodire vias duras: illic seminantes, vbi nec minima quidem portio vestri seminis valeat deperire. Sane; qui parce seminat, non quidem non metet, sed parce metet. Nepe qui metit, mercedem accipit, & scimus quis promissit, ne eum quidem qui pro nomine suo calicem aquae frigidae dederit sitiēti, mercede propria cariturum. Numquid tamen in qua mensura mensus fuerit, sibi quoque remeteretur: aut in retributione aequabitur ei, qui non aquam porrigens sed sanguinem fundens, propinatum sibi biberit calicem Saluatoris? Ac si dicat, non aequabitur. Augustinus breuius ait: Quia dispar est gloria singulorum, sed communis est laetitia omnium. Subiciamus saltem alium, nempe beatissimum patrem Ephraem, haec dicentem. Ibi omnis principatus, ac potestatis merces reposita est, locutusque paratus pontificibus, diaconibus, lectoribus, regibus, principibus, ac ducibus, militibus, diuitibus, atq; pauperibus, solitariis, virginibus, coniugatis, seruis, liberis, viduis; omnibus, inquam, his ibi reposita sunt praemia, fructus, & actiones, & quod quisque istuc, praemiserit, sicut scriptum est: Quia in manu eius & nos & sermones nostri. Et rursus apud Apostolum: Quia vnus cuiusque opus manifestum erit. Et alibi dicit: Quod enim seminauerit homo, hoc & metet. Paulus autem infra idem Pater ait: Quae & similia fratres mei, facietes, praemittamus singuli istud pro posse, vnus quidem vnum praecceptum, alter autem duo; vnus quinque, alter decem; alius vero triginta, alius sexaginta, alius autem centum. Deus autem miserationum, cui vel duo sola minuta viduae accepta fuerunt, suscipit a famulo suo, & multa, & pauca, & omnia retribuit singulis pro ratione laboris; utque certaminis, sicut scriptum est: Quoniam vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem. Quomodo ergo qui ad forum gratia mercadi accedit, si parum pecuniae offerat, parum mercabitur, & si plurimam pecuniam tribuat, plurimarum mercium Dominus efficietur; ita imperfecti, qui exile satis pretium meritorum secum in forum beatitudinis ferunt, minori gloria ditabuntur; perfecti vero, qui ingentes secum bonorum operum diuitias reportant, ingentem etiam gloriam consequentur. Nam bona opera, & pro Christo suscepti labores pecuniae sunt, quibus iusti in terra viuuntium, domum, cibos, & potum, vestesque; gloriosas, quibus operiantur, coemunt. Et ne sit iniusta retributio, nec imperfectus pro minimis & tepidis laboribus perfectorum mercedem acquirat, nec perfectus pro magnis, ac feruentissimis obsequiis praemium tantum imperfectorum accipiet.

At quata est gloriae imperfectorum perfectorumque diuersitas? Certè eam ad amissum explicare non possumus. Nemo enim nostrum hactenus ascendit in caelum, ut possit, quae ibi geruntur tanta certitudine declarare. Nec si ascendisset, lingua carnis, aut calamo corruptibili gloriam incomprehensibilem, & diuitias ineffabiles exprimere valuisset. Sed Paulus maximam, & penè infinitam esse gloriae iustorum imperfectorum & perfectorum distantiam satis aperte indicat: dum ait, Alia claritas solis, alia claritas lunae, & alia claritas stellarum: stella enim differt a stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Considera mihi quantum mediocres stellae, minimas stellas excellat; quantum maiores stellae, mediocres claritate superet;

Ioann. 14.

Bern. ser. 9. in Esai. Qui habitant.

Matt. 10.

Aug. lib. med. c. 25.

Ephr. de locis beatiss.

Sap. 7. 1. Cor. 3. Galat. 6.

Mat. 12.

Rom. 2.

2. Cor. 5.

1. 2. Cor. 15.

quantum

quantum luna maioribus stellis clarior sit; quantum sol sit luna lucidior; & videbis quosdam beatorum, scilicet viros sanctissimos, vt pulcherrimos soles aliis minoribus sanctis gloria & maiestate præponi: & hos minores sanctos, vt lunas splendidas, proficientes excellere; & istos proficientes, vt stellis lucidissimas iustos imperfectos, qui minimis astris comparandi sunt, charitate superare. Nec ab ista gradatione longè abest Ambrosius, qui in eundem Pauli locum scribens, ait: Sicut sol, & luna, & stella, cum sint vnus quidem naturæ diuersæ tamen claritatis sunt: ita & homines, cum sint vnus generis, meritò tamen dissimiles erunt in gloria. Vt claritati solis illorù dignitas ex æquetur, qui ceteris numerum habet: qui vt perfecti essent, primi gradus æmuli fuerunt, de quibus dictum est: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris illorù. Lunari autem claritati hic comparandi sunt, qui sexagesimum numerum bonis operibus mercati sunt, vt secundi gradus meritum haberent. Stellis autem clarioribus eorum merita comparanda sunt, qui tricesimum numerum tertij gradus dignitatem iustis laboribus quaesierunt. Sequentibus verò stellis, quæ inter claras & obscuriores mediæ sunt, peccatores homines coaptandi sunt, qui de tribus nullius gradus ad ipsi honorem voluerunt. Magna quidè est solis, & stellæ in claritate distantia, sed nullo modo conferenda cum ea, quæ inter gloriam perfectorum & imperfectorum interiacet, quorum illi se splendidissimos soles sanctè viuendo fecerunt, isti verò tepidam vitam ducendo velut minimæ stellæ restiterunt. Verù quidè est, vt ex Augustino Thomas Aquinas annotauit, omnes beatos tam maiores quam minores cum Angelis vnã republicam, vnã ciuitatem, ac (vt ita dicamus) vnũ mysticum Christi corpus efficere, quod iam non in terra militat, sed in cælo coronatum triumphat. Sed est inter illos idem, quod in partibus eiusdem corporis solet esse discriminè. Sicut enim partium corporis quædam sunt infirmæ, vt pedes, femora, inguina, venter; quædam supræ, vt pectus, brachia, manus, collum, facies, vertex: & illæ quidè infirmiores sunt, & minù aspectu decoræ; quare, vt inquit Paulus, illis abundantiorẽ honorã circumdamus, id est, vestibus, & operimentis contegimus: hæ verò fortiores sunt, & pulchriores, quarum forma nullo operimento indigeat, quia per se satis nobilis sit atque decorata. Ita beatorum quidam, illi scilicet, qui in hac vita imperfecti, & tepidi fuerunt, minù habet gloriæ, & pulchritudinis, quos cum membris Christi infirmis computamus: alij verò, qui perfectè vixerunt, & gnauius militauerunt, gloriores sunt, & pulchriores, quos membra Christi superiora, & capiti proximiora decernimus. Perfecti cælum ingrediuntur vt duces, qui in bello fortiter decertantes, & hostes animosè fundentes non minù feliciter quam gloriosè triumphant. Imperfecti verò cælum ingrediuntur vt milites, qui ad vmbra fortiorum tandem vicerunt, & à vulneribus acceptis per sanguinem Christi sanati sunt. Illi sedent vt principes, quibus altior locus, illustrior sedes, & splendidiore nobilitatis insignia destinata sunt. Hi vt ciues, quos Rex etiam diligit; & in communi illo, & felicissimo suo regni conuentu libenter honorat. Illi tandem gaudebunt, vt iudices qui iuxta Domini promissionem, aut ex eo quòd omnia pro eodè reliquerunt, alios homines iudicabunt, aut quia illis affectus relinquendi nos defuit, sua vita, & operum ostensione iniquos pro terrenis rebus mandata transgredientes damnabunt: Hi verò gaudebunt, vt iam iudicati, qui purgatis in loco pœnarum imperfectionibus suis, sententiam liberationis acceperunt, & in habitationem aulæ regis ad-

missi sunt. Vide quanta sit differentia inter solem, & stellam: inter caput, & pedem: inter ducem, & militem: inter principem & ciuẽ: ac tandem inter iudicem, & eum qui indicatus est, quia tanta est, & certè multo maior inter virum sanctitate conspicuum, & hominẽ post multa peccata & imperfectiones communi gratia saluatum, quem Dominus in suam domum excepit, sed ad magnitudinem gloriæ perfectorù non admittit.

Aliud tandem est, ex quo præstantiam gloriæ perfectorum, supra gloriam imperfectorum colligere liceat. Quod scilicet viri perfecti, aut non segniter proficientes, ad Angelorum ordines assumuntur, imperfecti verò infra Angelos omnes in gloria requiescunt. Perfecti enim, & proficientes, quia vitam spirituum cœlestium imitari sunt, meritò eorum sedes obtinent, & parẽ cum illis gloriam accipiunt. Ita scilicet, vt quidam eorum cum Angelis, quidam cum Archangelis, alij cum principibus, vel virtutibus, alij cum potestatibus; aut Dominationibus, alij cum Thronis, aut Cherubinis, imò & alij cum ipsis supremis seraphinis sedem, & gloriam debitam tantè sedi possideant. Imperfecti verò, quia vitam humanam, & rebus, atque affectibus huius mundi distracta gesserunt, iure optimo infra Angelos collocantur & locum suis laboribus accommodatum occupant. Perfecto minimus Angelorum, vt Thomæ, & aliis Theologis placuit, iuxta perfectionem suæ naturæ, perfectionem gratiæ, & auxilia ad Dei amorem, & alia merita habita in morula suæ viæ, antequam beatitudinem assequeretur, obtinuit. Natura autem cuiusque Angelus etiã minimi, sublimis admodum, & perfecta est, vnde & gratia eius, ac merita eius valde sublimia fuerunt atque perfecta. Gloria ergo huius Angelus excellentissima est, quam non homo segniter, & tepidus, paucis & imperfectis operibus assequi poterit. Erunt quidem omnes beati sicut Angeli Dei, & erunt æquales Angelis in hoc, quòd non ducent vxores, nec vitam corruptionis obnoxiam, aut necessitati rerum corporalium subiectam transigent: quippe qui instar Angelorum immortales & incorruptibiles erunt: quod attinet ad gloriam, & beatitudinem, non omnes homines beati æquale cum Angelis præmium participabunt, sed innumerabiles hominum beatorum non solum paruulorum, sed etiã aduulorum, infra vniuersos Angelorum choros permanebunt. Nam quemadmodum in curia regia sunt quædam domicilia amplissima principibus, & ducibus & Episcopis, & aliis viris illustrissimis destinata; alia verò minora cõmunibus ministris addicta, in quibus satis liberaliter hospitetur: quòd si princeps, aut dux, aut Episcopus alterius regni curiam intret, in domo alicuius principis, aut ducis hospitium habet; si autem homo communis, & priuatus adueniat, non in domum viri illustrissimi, sed in domum alicuius famuli minoris, de aula regis excipitur: Ita in curia cœlesti domicilia principum, id est, omnium spirituum bonorù, & domicilia famulorù minoris splendoris infra omnes Angelos reperiuntur. Illa perfecti, & non cõmunes serui Dei, ex Ecclesia militante ascendentes occupant, tãquam viri nobiles & primarij, ista iusti imperfecti bene in igne purgatorio loti, atque purgati, tamquam famuli communes frequentant. Has autem mansiones beatorum, fortè locus etiam aut situs corporalis distinguit, ita vt nobiliores Christo ascendenti super omnes cœlos proximent, & cõmuniores ab eo magis distent: ac sine dubio maior eas beatitudo & abundantior gloria secernit. Vnde beatus Ephrem ait: Saluator noster mansiones multas Patris vocat, mensuras intelligentiæ eorum, qui in regione illa cõmorantur: dico autem discrimina, ac differentias, qui bus mente & intelligentia gloriam participant; non

Ambr. in
1. ad Cor.
c. 15.

Matth. 13.

Aug. 12.
de ciuit. c.
1. de Tho.
2. p. 9. 108
art. 8.

1. Cor. 12.

Tho. 1. p.
9. 62. ar.
6. Alij in
Magist. 5.
sent. d. 2.

Mar. 12.

Luc. 20.

Ephr. de
locis bea-
tæ.

enim

enim locorum diuersitatem, sed charismatum ordinem mansiones multas appellauit. Quemadmodum enim vnusquisque pro puritate & capacitate visuæ potestatis sensibilib. radiis solaribus fruatur: Et quæ admodum vnica lucerna in vna domo lucente, aliter atque aliter luminis splendor diffunditur, licet etiam per multas lucernas non fuerit diuisus: ad eundem modum in futuro sæculo iusti omnes indiuisibiliter habitabunt vnus gaudij participes. Cæterum pro sua ipsius mensura, ac capacitate, ab vno sole intelligi splendorem suum quilibet accipiet, & pro dignitate, gaudio & exultatione perfruetur, tamquam ab vno aere, & loco, ac cathedra, & contemplatione atque forma. Cum hæc ita sint, viri perfecti in mansionibus beatorum spirituum recipiuntur, quia æquali cum eis gloria cumulabuntur; & qui se in hoc mundo amplius, aut actus, aut effectus deiecerunt, iuxta verbum Saluatoris, altius & sublimius in locum spirituum sublimiorum ascendent, imperfecti autem in mansionibus, quæ sunt infra omnes Angelos, habitabunt, quia gloriam minorem ea, quam Angeli habent, in suæ vitæ præmium obtinebunt.

Sic ergo nos pie cogitamus cœlestem illam patriam: quam suspiramus, esse dispositam, vt in eminentissimo loco & planè regio, super omnes cœlos Christus caput nostrum, & princeps assideat: iuxta illud, quod in Paulo legimus: Qui ascendit super omnes cœlos, vt impletur omnia. Quam eminentiam, vel per se locus ille cœlestis habuit in Oriente positus, & Christo principi ab æterno destinatus, & ab initio mundi præparatus, vel ab ipso Christo ibi sedente, & ex illo loco regnante percepit. Sicut enim caput mense est, vbi paterfamilias recumbit, & caput scholæ, vbi magister docet, ita eminentissimus cœli locus est, vbi Christus homo Angelorum, & hominum caput requiescit. Post Christum & super omnes angelicas hierarchias Maria vera mundi regina & cœlitum Imperatrix domicilium dignissimum habet, secundum illud quod Ecclesia canit de ea: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna. Quemadmodum enim Rex Salomon ædificata domo sua, statim filiam Pharaonis, quam vxorẽ duxerat & impensè diligebat, palatium extruxit; ita pacificus Rex Christus, Mariæ matri, & sponsæ, & omnium terrestrium, cœlestiumque Reginæ domum in cœlis dignissimam fabricat, quæ mansiones etiam Seraphinorum excelleret, in qua illa communis omnium Mater, & Regina misericors, felix, ac beata commaneret. Infra hunc Deiparæ locum tres Angelicæ hierarchiæ nouem ordinibus distincte consistunt, quibus Dominus Patriarchas, & Prophetas: Apostolos, & Martyres: Pontifices, & Doctores: Confessores, & Virgines: atque omnes sanctos, & sanctas, & vno nomine vniuersos, qui in terra vitæ perfecti, aut saltem ad perfectionem tendentem egerunt, intexit. Ita scilicet, vt quidam inter ipsos Seraphinos, aut Cherubinos sedeant, alij inter Thronos, aut Dominaciones sedere habeant, alij inter Potestates, aut Virtutes quiescant; atque alij inter Principatus, aut inter Archangelos, aut inter Angelos, pro meritum qualitate loci obtineant. Qui autem cum quibus sedeant, Gregorius longioribus verbis exposuit, dicens: Distinctæ namque conuersationes hominum, singulorum agminum ordinibus congruunt, vt in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputentur. Nam sunt plerique qui parua capiunt, sed tamen hæc eadẽ parua pie annunciare fratribus non desistunt. Isti itaque in Angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli, qui diuinæ largitatis munere relecti, secretorum cœlestium summa & capere prævalent, & nunciare. Quo ergo isti,

A nisi inter Archangelorum numerum deputantur? Et sunt alij, qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quod ergo isti, nisi ad supernarum Virtutum sortem, & numerum congruunt? Et sunt nonnulli qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis, & vi acceptæ potestatis eiciunt. Quod itaque isti meritum suum, nisi inter potestatum cœlestium numerum sortiuntur? Et sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt, cumque & bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Quod ergo isti sortem suam, nisi inter Principatum numeros accipiunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitis, omnibusque desideriis nominantur, vt ipso iure munditiæ Dij inter homines vocentur. Vnde & ad Moysen dicitur: Ecce constitui te Deum Pharaonis. Quod ergo isti, nisi inter numeros Dominationum currunt? Et sunt nonnulli qui dum sibi metipsis vigilanti cura dominantur, dumque se sollicita intentione discutiunt, diuino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, vt iudicare rectè & alios possint. Quorum profectò mentibus, dum diuina contemplatio præsto est, in his velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid ergo isti Throni sui conditoris sunt: vel quod, nisi ad supernarum sedium muneros ascribuntur? Per quos, dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdã suis infirmis actibus etiã electi iudicantur. Et sunt nonnulli, qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, vt Cherubin iure nominentur. Quia enim Cherubin plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est charitas: omnes qui Dei & proximi charitate careris amplius pleni sunt, meritum suorum sortem inter Cherubin numeros, perceperunt. Et sunt nonnulli qui supernæ contemplationis facibus accensis, in solo conditoris sui desiderio anhelant: nihil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena queque abiiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant, & ardēt, atque in ipso suo ardore requiescant; amando ardent, loquendo, & alios ascendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos, nisi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem conuersum, lucet, & vrit; quia & mentium oculos ac superna illuminant, & eos compungendos, in fletibus vitiorum rubiginẽ purgant? Qui ergo ita ad amorem sui conditoris inflammati sunt, quod nisi inter Seraphim numerum, sortem suæ vocationis acceperunt? Hæc omnia Gregorius, quæ consultò retulimus, vt ea intelligamus. Quia enim dignior in cœlo mansio, & gloriæ mensura, vt Thomas ait, pro magnitudine charitatis danda est; ista omnia, quæ Gregorius refert, ad charitatem sunt reuocanda. Sic nimirum vt qui charitatem Angelorum ordini congruentem habuerit, qua minor cognouerit, atque nunciauerit, inter Angelos se deat. Et qui charitatem Archangelorum ordini aptam consequutus fuerit, qua maiora callerit, & verbo aut exemplo docuerit, cum Archangelis resideat. At eodem modo cæteri charitatis funiculo, non gratiarum datis datarum exercitatione metiendi sunt, vt ad spirituum beatorum mansiones perueniant. Vnde sicut omnium Angelorum charitas adhuc in statu mariti ipsorum magna, & perfecta fuit, ita oportet, vt qui æqualem cum eis gloriam accepturi sunt, infantiam Christianæ iustitiæ, & puerilitatem charitatis excendant, & ad aliquam perfectionem iustitiæ, & charitatis, vt cum Angelis deputentur, ascendant. Quid enim conducet, aut magna, aut parua prædicent, si miracula, & prodigia faciãt, si alii imperent, si tamẽ

Ephes. 4.

3. Reg. 7.

Greg. 88.
34. in
Euang.

Exod. 7.

Rom. 13.

D. Tho. in
addit. 9.
99. art. 3.

vitam humi repentem, & mentem in rebus terrenis harentem, & charitatem nimis exilem, & vix eos in aliqua Dei gratia conferuantem habuerint?

Psal. 112.

Post nouem igitur Angelorum ordines, quibus (vt diximus) omnes perfecti texti sunt, vt, quemadmodum scriptum est in Psalmo, Collocet eos Dominus cum Principibus, cum Principibus populi sui, decimus erit beatorum ordo, in quo omnes paruuli cum baptismo decedentes, & omnes iusti, qui vitam hic tepidam, & segnem duxerunt, & tandē in gratia decesserunt, suo ordine requiescent. Nam meliores ad infimum Angelorum chorum propius accedent, infirmiores verō ab Angelis longiori intervallo distabunt. Quod, vt nunc alios omittam, bona uentura magnus Ecclesie Doctor aperte palamque testatur. Ait enim, infra nouem ordines Angelorum addetur ordo decimus ex his, qui in vita ista non peruenerunt ad tantam meritorum excellentiam, vt exaltentur ad ordines angelorum, sed meritis Christi saluati decimū tenent gradum. Putatque hoc, in illa parabola mulieris habentis drachmas decem, quae vnā perdidit, & tandem post multum laborem inuenit, fuisse signatū, atque in miraculo solis descendentis tempore Ezechiel per decem lineas, fuisse in figura predictum. Sic enim Christus verus iustitiae sol, ad quaerendam decimam drachmam, id est, humanum genus, relictis nouem Angelorum ordinibus, de caelo descendit, & in volubilitate huius vitae vsque ad assumptionem iustitiae, post omnes Angelos naturae humanae se deiecit. Quā cum per charitatem perfectam Angelicam, quo ad gratiae mensuram fecit, cum Angelis collocat, cum verō ipsa per hominum negligentiam in sordibus haret, si demum ad salutem veniat, infra ordines Angelorum constituit. Ex his manifeste conspicitur, quā sit inter gloriam virorum perfectorum, & hominum imperfectorum distantia. Nam si Angeli sunt penē innumerabiles, quia millia millium ministrabant ei: & decies millies centena millia assistebant ei. Et si omnes isti, si Thomae satis verosimiliter loquenti credendum est, sunt gratia & gloria inaequales, ita vt sicut in numeris vnus est alio maior, ita in Angelis vnus sit alio semper gloria superior. Quāto maior erit gloria eorum beatorum, qui inter Angelos, aut inter Archangelos, aut inter alios superiores ordines sedēt, beatitudine eorum iustorum, qui infra omnes Angelos suum domicilium habēt? Hoc nec lingua eloqui, nec summa comprehendere, nec mēs valere cogitare.

Bona u. in 2. d. 9. g. 7.

Luc. 15.

4. Reg. 26.

Danie. 7.

D. Tho. 1. p. 2. 50. ar. 4.

Si ergo desiderium rerum caelestium debet esse maius eo quod in rebus terrenis collocamus, cur salutem eos, qui statū perfectionis profitemur, non audē, & diligenter ad perfectionem curremus? Cur saeculares homines numquam augmento diuitiarum & honorum satiantur, & nos augmentum gloriae, & veras diuitias, verasque dignitates fastidimus, & in infimo loco sessuros esse iustinemus? Et illi quidem falsa bona quarunt, & quae velint nolint amissuri sunt, magna sollicitudine conquirunt; cur nos vera bona, & semper duratura non augere, & promouere curamus, quorum possessione felicissimi futuri sumus? Quare nos in hac vita infimus locus contristat, & in caelo infima sedes delectat, cum potius hic postremus locus eligendus esset, vt ibi superior sorte nobis obringeret? An quia hic primas sedes appetere superbia est, & in caelesti patria supremum locū procurare feruor est, & magnae mentis indicium? Sed si hoc nos mouet, cur ex professo virtutem auersamur, & ambitiosi, ac superbi haberi volumus, virtū virtuti praefidentes, & dignitatem terrae caelesti dignitate factio ipso maiorem existimantes? Pudeat nos premiū sanctis & perfectis praeparatum contemnere, quod

A profectō vitae nostrae segnitie despiciamus, dum illi utilitates huius mundi anteponimus, & vita futura bona amittimus, dum plus a quo huius vitae bonis inhæremus. Et ego quidem, Dominus vnus sum ex tepidis & imperfectis hominibus, qui singulis diebus tibi, vt par est, seruire propono, & numquam incipio; & quia semper peccata peccatis accumulō, & imperfectionibus imperfectiones adiicio, minime sū quietus, sed perpetuō earū memoria & recordatione discrucior. At misericordia tua, Deus meus, hae spes reposita est in sinu meo, quod paruulus inter paruulos requietionis locum obtinebo. Scio enim, quia non solis sanctis, sed peccatoribus etiam conuersis aeterna caelorum habitatio à te parata est. Et lego, quia paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo. Ibi paruus, licet non in loco magnorum, tamē in eadem domo cum magnis, te donante, victurus sum, vbi iam liber ab omni seruitute peccati, nulla inuidia magnorum tangar, & nullo liore consumar. Quia in illa tantae beatitudinis regione, vt ait Prosper seruus tuus, nec maioris meriti sibi aliquid quique arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit; nec superiori inferior inuidebit, quia ibi inuidus nullus esse poterit. Placeat tibi Domine, vt secundum fidem meam fiat mihi, & secundum spem, quam de tua bonitate concepi, mihi tandem eueniat; nam licet minimus sim regni caelorum, sine dubio magnus ero, & omnem à mortalibus comprehensibilem magnitudinem superabo.

Iob. 3.

Prosp. lib. 1. de vita cont. c. 4.

Quam incunda sit perfectorum memoria.

CAPVT XXXVII.

C **P**ERFECTOS viros in caelesti patria receptos & apud Dominum exultantes, fideles de sua memoria non delect, nec terrena obliuiscuntur, sed eorum honorifice recordantur. Quos enim sanctē & perfectē vixisse comperiunt, aut statutis temporibus, aut quoties memoria ipsorum incidit, non sine laude & admiratione concelebrant. Idque Salomon Deo inspirante cognouit, dum inter laus sententias hanc etiā scripsit: Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrefcet. Cuius sensui non tantum summae veritatis loquentis auctoritas, sed ipsa quoque quotidiana experientia testimonium praebet. Saepē namque vidimus reges, & principes, & nobiles in sepulchris marmoreis putrescentes, & penitus ab hominum recordatione relictos; pauperculos verō Christo perfectē obsequentes, & post mortem in infimo loco sepultos ab vniuersis hominibus honoratos. Illorum memoriam nec marmora, nec alabastrites, nec columnae, nec aedificia, nec tituli superbi conferuant: istorum verō felicem recordationem sola virtus, operibus sanctae conuersationis exulta, sustentat. Illorum nomina, & titulos, ac dignitates homines nesciunt, & opera ignorant; istorum verō & nomina cum magna veneratione audiunt, & sanctissimas actiones admitantur. Imō, vt Beda ait, & in hac vita boni bonos, siue viuentes, siue defunctos, laudibus efferunt, impiorum autem, & actus detestantur, & nomen. Omnes quidem homines instigantē natura, & desiderio immortalitatis deposcente, cupiunt sui memoriam posteris derelinquere, & curant si non possunt in seipsis, at in filiis, & in operibus se immortales facere, & perpetuō in aliorum recordatione permanere. Hoc autem immortalitatis desiderium, ad quos labores miseros mortales non adigit, ad quas curas, & fatigationes non im-

Prou. 10.

Beda in prouer. c. 90.

pellit?

pellit: Quidam eorum, auro & argento, & gemmis, ac lapidibus pretiosis, & aliis diuitiis congregandis intendunt, vt partem diuitiarum, & post mortem aut aliis legata, aut in filios hereditate transfusa, eorum laudabili memoria subseruiant. Alij inhiat dignitatibus, & honoribus assequendis, quæ ipsorum nomen veluti ante oculos hominum suspensum teneant, & in terrâ obliuionis cadere, & mergi non sinant. Alij intolerabiles labores militiæ subeunt, & certaminum periculis milites vitam exponunt, vt posterit sciant, & legant, eos fuisse duces fortissimos, qui pro aris & focis sanguinem profuderunt, & aduersus hostes strenuè decertarunt. Alios magnificarum domorum, & superbiorum ædificiorum extractio delectat, in quorum lapidibus nomina, & dignitates suas, & sumptus immensos in turribus erigendis factos insculpant, quæ eorum recordationem integram inuolatamque conseruent. Nam & hæc causa fuit turris Babylonica ædificanda; quare superbi eius ædificatores dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras. Omnes isti nullo modo ad finem sui desiderij perueniunt. Quoniam ipsæ opes malè partæ, aut dilabuntur, aut, etsi maneat, in alium possessorem translata, dum istum augent, instantum lucratorum obliuiscunt. Et dignitates, quia successores instat, atque distendunt, miseris prædecessores in nudos, & spoliatos, & fortassis in batatru detrusos abscondunt. De hostibus autem reportatæ victoriæ facillimè à memoria pace fructuum excidit, & cum ipsa bellorum & victoriarum obliuione, obliuio etiam ducum, & imperatorum ingreditur. Ac denique superba palatia, immensæ ædificiorum moles, ex lapidibus mutis congestæ nomen suorum ædificatorum prædicare non possunt, nisi fortè in auribus quorundam otiosorum, qui antiquos characteres, & penè vetustate consumptos lapidibus incisos nituntur legere, & quæ continent, ad memoriam reuocare.

Memoria ergo istorum, vt ait Iob, comparatur cinerum. Quia, vt bene interpretatur Gregorius, illic ponitur, vbi ab aura rapiatur. Quantumlibet etenim quisque pro facienda gloria sui nominis elaborat, memoriam suam quasi cinerem ponit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit.

Et profecto ego istos, qui similibus operibus sui memoriam seruare non valent, in hoc ipso, quod eam non seruant, felices existimo, quia eam memoriam apud homines amittunt, quæ ipsis dedecori erat, & sempiternam ignominiam asserbat. Quis enim dum diuitiis iam mortui recordatur, non indicat eum fuisse raptorem, qui dolis, & technis, & rapinis, ac pauperum iniuriis tantas opes aggregauit? Quis ad memoriam reuocans eum, qui magnos honores fuit consequutus, non cogitet eum fortè superbum, ad ambitiosum fuisse, qui non meritis sed pecunijs, & donis, in gratiam familiarium regis seipsum insinuauit, & eorum mendacijs approbatus in sedem iudicariam ascendit? Quis eius mentionem faciens, qui vitam militarem attipuit, non suspicetur illum peccatis militum fuisse implicatum, quorum occupatio est, dum consiliu prætorum vacant, ludere, & peierare, & vilissimas mulierculas in exercitu circumferre? Quis tandem dum eius nomen audit, qui opes suas in magnis ædificijs insumpsit, non eum stultum & insanum putet, qui sciat domos amplissimas in terris extruere, quas iustores frequenter, & in cælo sibi ædificare domicilium æternum ignorauit? De isto, & similibus inquit Chrylasmus: Hoc non est tam laudem quam crimen sibi parare. Nam statim ad hæc subiunguntur plurima-

rum contumeliarum verba: domus hæc huius est, huius auari, huius rapacis, huius viduarum & orphanorum spoliatoris. Igitur hoc non est memoriam assequi, sed perpetuis obici criminibus, & etiã post mortem infamari, & spectatorum linguas acere in blasphemiam & accusationem eius, qui illam possidet. Cum his ergo omnibus satis bene agitur, si eorum memoria aboleatur, quæ non ipsorum honori proficit, sed dedecori & ignominie seruit.

Peccatores itaque sui memoriam perpetuare cupiunt, quam tamen ad summum, & temporalem, & infamiam plenam assequuntur. At vir iustus, atque perfectus, memoriam in cordibus hominum perpetuam, & illam honorificam, & laudibus refertam assequitur. Vtrumque sanctus David vnicò veru complexus est; In memoria æterna erit iustus; ab auditione mala non timebit. Iustorum memoria in hoc quoque sæculo perpetua est, quia causa eius, scilicet virtus, numquam interit. Et quia Dominus suorum amicorum honori consulens, homines ad eorum memoriam & recordationem excitat, quos sibi per intimam familiaritatem copulauit. Illud quidem magna pietatis opus, quo Maria Magdalena pretiosum alabastrum confregit, & vnguentum nardi spicati, magni valoris, super caput Christi recumbentis effudit, Dominus ipse pollicitatione æternæ memoriæ ex parte persoluit. Amen dico vobis: vbi cumque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius. Idem profus fit cum multis alijs sanctorum, qui perfectionem coluerunt, & vnguenta sanctorum laudum super caput Christi profuderunt, & eius pedes amoris affectibus osculati sunt. Hæc opera illorum vbiq; resonat, & in toto mundo celebrantur, atque in cathedris, & pulpitis Petri lacrymæ, Pauli discursus, Francisci humilitas & paupertas, Dominici fraterna charitas, Bernardi singularis puritas, & aliorum sanctorum merita ad eorum memoriam referuntur.

Vnde sapientia ait: O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius; etiam & apud Deum nota est, & apud homines. Hæc generatio non est alia quam multitudo iustorum, quæ mente pulchra est, quia gratiæ decore nitet, & corpore casta, quia honestatis nitore emicat, & luce sapientiæ clara; quoniam rerum celestium cognitione respundet. Cuius memoria nec apud Deum, nec apud homines perit. Non apud Deum, quia sanctos semper secum habet, & nunquam à proposito eos clarificandi discedit. Non apud homines; quoniam hi celebrem eorum memoriam non deserunt, quos sibi semper patronos apud Deum, & mediatores agnoscunt. Ad eò vt, quia non potest Ecclesia omnium sanctorum festa sigillatim celebrare (sunt enim illi innumerabiles) neque potest omnes perfectos, & iustos ex nomine cognoscere, aut eorum specialem memoriam habere, dies festos celeberrimosque quotannis instituit, in quibus (iubente Deo) sanctorum omnium chorus honoraret; & eos ad memoriam fidelium addaceret. Omnes etiam illos frequenter inuocat, dum in publicis supplicationibus canit: Omnes sancti, & sanctæ Dei, intercedite pro nobis. Bene ergo perfectus quisque ait, dum bona sibi à perfectione data commemorat: Præterea habeo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. Et rursum: Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis. Sapienter perfectus vir iuuenem se vocat, quia in ferore nunquam senescit, nunquam virtute flaccidit, nunquam in bonis operibus fit

Gen. II.

Iob. 13.
Greg. 11.
mor. c. 17.Chry. hō.
3c. n. gen.

Psa. 111.

Marc. 14.

Sap. 4.

Sap. 8.

Ib.

imbecillior, sed dum quotidie proficere curat, & robustior in bono fieri, floridam iuuentam asseruat. Bonus iuuenis, cuius animus senili gravitate censetur, in quo ætas senectutis est, non annorum numerus, sed vita immaculata, in quo viget incana prudentia. Bonus iuuenis, cuius renouata est, & reffloruit velut aquilæ iuuentus sua. Hunc seniores, illi scilicet, qui canicem, & maturitatem habent in mente, honore prosequuntur. Hunc turbæ, & qui affectuum commotione turbantur, clarum, & memoria dignissimum iudicant. Hunc futuri vidisse cupiunt, & quem non viderunt, in operibus ab ipso relictis vident, & magnis laudibus prædicant. Hunc denique Deus immortalitate vestitum apud se eximiis muneribus præmiat. Cui per omnia conuenit illud fortis mulieris elogium: Non extinguetur in nocte lucerna eius. Nam si mors iusti nox dicitur, quia in ea tamquam in nocte requiescit, & pausat à laboribus suis, profectò in nocte lucerna eius non extinguitur, quia post mortem iusti nomen non deletur, nec memoria consummatur. Est ergo æterna perfecti viri memoria, quæ usque ad finem mundi in Ecclesia durabit, & post mundi consummationem clarior & fulgentior existet. Nunc enim, quia aliter fieri non potest, quorundam sanctorum memoria tantum communiter habetur, tunc verò omnium singularis memoria, ac recordatio celebrabitur. Quia in cælesti patria omnes, quemlibet iustum ex nomine cognoscent, & eum tamquam Dei filium prædictum honore afficient.

Prov. 31.

Psal. 111.

Ecccl. 49.

2. Cor. 2.
Cant. 2.

Sed quid est, quod Dauid adiecit, viro iusto æternam memoriam promittens: Ab auditione mala non timebit? Certè quod iusti memoria non erit infamis, sicut impiorum recordatio, sed iucunda, honorabilis, plena laudis atque decoris. Quod Ecclesiasticus de Iosia loquens manifestè pronunciauit: cuius laudem omnibus viris sanctis, atque perfectis congruere perspicuum est: Memoria Iosia, inquit, in compositionem odoris facta, opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indolcabitur eius memoria, & ut musica in conuiuio vini. Tria proponit huius recordationis encomia, quæ in memoriam cuiusque viri perfecti per omnia quadrant. Alterum: quod est veluti purissimum thymiam ex variis odoramentis compositum, & hoc pertinet ad opinionem, quæ de perfecto concepitur. Omnes enim cum alicuius viri sancti, aut perfecti recordantur, illum ut acerum quandam virtutum aspiciunt, & in eo humilitatem, grauitatem, modestiam, silentium, internam puritatem, & reliquas virtutes inesse cognoscent. Quæ tam suaviter naribus spiritualis mentis olent, ut quisque eas mente percipiens, sine vlla hæsitacione affirmet, quia sanctus, & perfectus vir bonus Christi odor est in omni loco. Et sicut Christus pulcherrimus campi flos (ut ipsum sponsa compellat) omnes flores, & rosas, & lilia suavitate & decore vincit; ita eius odor, quo perfectum quemque intelligimus, omnes corporeos odores suauitatis præstantia, quasi in infinitum excellit. Alterum encomium est, quodd in ore loquentium est quasi dulcissimum mel. Nemo enim ex concepta perfecti memoria, os ad loquendum aperit, qui non eum laudibus, & encomiis exornet. Ille, inquit, erat vir humilis, & obediens, qui mundum, & seipsum despiciebat, & ut prælati iussa exequeretur, suum sensum, & voluntatem conculcabat. Ille erat vir pariens, & assidua orationi deditus, cuius studium erat huius vitæ molestias firmiter tolerare, & Deo per compunctionis sacrificium seipsum offerre. Hæc & similia verba de viro perfecto proferuntur, cum aliqui

A mutuò colloquentes, in eius recordationem incidunt. Quod Chryostomus diuiti suadens, ut suas opes mendicis erogat, hac luculentissima oratione confirmat. Quod si omnino æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, qua poteris semper celebrari, dabitque tibi fiduciam in futuro sæculo. Hoc pacto igitur poteris, & commemorari, & celebrari quotidie, encomiisque euehi, & post hanc vitam, si has pecunias in manus inopum dispenfes, relictis lapidibus, & splendidis ædificijs, & villis, & balneis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria à sarcina peccatorum alleuiat, hæc multam tibi fiduciam apud Deum conciliat. Cogita, obsecro, & hæc verba, quæ singuli dicturi sunt. Hunc misericordem & benignum, hunc mansuetum, hunc suauem, hanc tam largum dispensatorem. Dispersit enim, & dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum. Vno die diuitias dispersit, & iustitia eius manet in sæculum, & memoriam fecit immortalem. Vidisti memoriam, quæ se in omne sæculum extendit? Vidisti memoriam magnis, & infabilibus plenam bonis? Hoc pacto post mortem iusti misericordes laudantur. Quare Tabitha vita sancta discipuli accersierunt Petrum, & eum in cœnaculum introducentes, vbi iacebat corpus exanime, circumsteterunt illum omnes viduæ gentes, & ostendentes ei tunicas, quas faciebat illis Dorcas (sic namque nomen defunctæ interpretabatur) in tantum ut Apostolum ad rogandum Dominum, & ad suscitationem eius impellerent. Quod si tanta est laus misericordium, qui solas opes extra se positas in pauperum vsu insumunt, quanta erit illius laus, qui omnia pro Christo relinquit, qui suam voluntatem deserit, qui in hac vita perfectè mundo moritur, & soli Deo viuere studet? Verè in omni ore memoria eius dulcatur, quia cum eius mentionem facit, non nisi ad promendas Dei, & iusti laudes aperitur. Tertium encomium est, quodd memoria viri perfecti erit, sicut musica in conuiuio vini, quod ad audientium vilitatem, & oblectationem spectat. Sicut enim musica animos purgatos moderare epulantium, & bibentium oblectat, & ad desideria rerum supernarum inuitat, ita memoria viri perfecti auribus excepta fidelibus, & audientes exhilarat, & ad desiderium auditarum virtutum pronocat. Cui non ineptè conuenit illud eiusdem Ecclesiastici: Vinum, & musica lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientiæ. Illa enim cor carneum ad exultationem permouent, dilectio verò perfectio, ad memoriam reuocata, spiritum mentis nostræ ad verissimum gaudium, & ad imitationem perfectionis, quam audimus, instigat. Quoties dum virtutes alicuius fratris nostri, aut absentis, aut vita sancti commemorari audimus, conscientia spina cõpungimur, & nostram vecordiam & segnitiam erubescimus, & apud nosmetipsos mores mutare, spiritualiter viuere, & eius silentium, & obedientiam, & orationis studium imitari constituimus? Quid est hoc nisi musica in conuiuio vini? Nos enim ad vinum spirituale bibendum inuitati, & ad cellam vinariam religionis adducti, dum musicam virtutum alicuius fratris aure interiori percipimus, inter bibendum mirum in modum delectamur, & surgere non ad ludendum, sed ad laborandum proponimus.

B

C

D

E

Non nihil etiã huius utilis & iucunda perfectorum memoria, quam post se relinquunt, in veste sacerdotis figuratum intelligimus. Nam illa vestis oram habebat textilem, ex qua mala punica, ex hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto contexta, & aurea tintinnabula dependebant, quorum dulcis sonus in-

Chry. h. b.
30. in Ge-
nes.

Psal. 111.

Ahor. 9.

Ecccl. 40.

Exod. 28.

grediente

grediente sacerdote tabernaculum aures vniuersorum astantium pullabat. [Sacerdos, cui mysticè vestis ista consuitur quisque perfectus est, cuius totum munus in hoc profectò consistit, vt Deo, non sacrificia taurorum, aut vitulorum, sed suimetipsius offerat, & in altari cordis quicquid carnale est, charitatis igne consumat. Vestis autem eius hyacinthina ad talos vsque demissa, cœlestis est eius conuersatio, vt ait Beda, quæ pedes sacerdotis operit, dum perseuerans est, & finem vitæ viri perfecti contingit. Illi enim dicitur: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ,] & ne istam coronam æternæ vitæ perdat, vsque ad mortem in bono perseuerat. Extremitas huius vestis, finis ipse est sanctæ & cœlestis conuersationis, quæ nõ in genibus, aut in cruribus, sed in pedibus finitur, quoniam ad finem vsque vitæ perdurans, in aliam meliorem conuersationem commutatur. Sed vide quid ex hac extremitate siue ora dependeat: Certe mala punica, & tintinnabula, quæ iucundam & sanctam perfectorum memoriam designat. Tintinnabula namque sonant, & ad efferenda lumina, & ad videndam vestem sacerdotis, & mala punica nos prouocant. Et dum verba, quæ vitam perfectorum tractant; audimus, nihil aliud internis oculis, quàm sanctissimam quandam vitam, & cœlestia desideria, charitatis opera, & purissimas omnium virtutum actiones aspiciamus. Quibus & ad laudandos sanctos ipsos, & (quod precipuum est) ad laudandum Dominum sanctitatis auctorem, & omnis perfectionis datorem permouemur. Quis enim alicuius perfecti viri vitam & actus considerans, non clamat cum Dauide: Generatio & generatio laudabit opera tua; & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur; & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantæ suauitatis tuæ eructabunt; & iustitia tua exultabunt.] Verè, Domine omnes gentes, omnèsque nationes opera tua laudant, & potentiam tuam prædicant; illa scilicet opera præcipuè, quæ in sanctis tuis facis, & illam potentiam, quam in mutatione, & emundatione, cordium eorum ostendis. Narrant, inquam, illam immensam magnificentiam, qua dilectos tuos è vinculis rerum mundanarum ereptos, sanctitate multiplicas, & mirabiles aquarum cœlestium decursus, quibus illos emundas. Explicant quoque non sine ingenti admiratione tuorum operum fortitudinem, quoniam perfectorum operâ (& illi quidem, quod ad naturam attingit homines sunt imbecilles;) vitia destruis; peccata consumis, demones fugas, & solo conspectu hominum exterres, & te verè magnum: qui pusillis ingentia potes, apud omnes manifestas. Memoriam huius eximia potentie, & suauissimæ misericordie omnes eructant, & id nimis vtiliter, quia dum horum operum recordantur, ad tuam iustitiam consecretandam interius exultant. Est ergo, Domine, perfectorum memoria gloriosa, honorifica, atque proficua: gloriosa, quia tibi sanctitatis datori gloriam tribuit, honorifica, quia perfectis honorem sempiternum parit: & proficua, quia in nobis desiderium imitandi propignit. Perit memoria impiorum cum sonitu,] at sanctorum memoria in æternum durat: quam sanè perfectionem excolentes, habebunt: qui verò operibus luti & lateris, id est, actionibus mundanis quærunt, nullatenus consequentur.

Apoc. 2.

Psal. 144.

Psal. 9.

A *Quòd perfectio ob summam sui dignitatem ab omnibus sit excolenda.*

C A P. XXXVIII.

MANIA, quæ in superioribus dicta sunt, manifestè confirmant summam esse perfectionis dignitatem, quam vniuersi homines deberent appetere, & nequaquam in solo appetitu, ac desiderio consistere, sed vltra ad exercitationem omnium virtutum progredi acniti, mediis illis tamquam instrumentis hanc pretiosissimam gemmam sanctitatis comparare. Nam si pro mundi dignitatibus infatigabili studio laborant; quanto vtilius erit illis, pro dignitate perfectionis laborare, quæ non solum in hoc sæculo & ad paucos dies, magnos & honorabiles reddet, sed etiam in futuro, atque in regno Dei, & in æternum, & apud Deum & Angelos eius, claros & gloriosos efficiet? Omnis dignitas huius sæculi exilis & pusilla est, quæ serò incipit, & citò euanescit, & quamdiu durat, ambiguis & implacabilibus curis mentem sub eagemenis cruciat. Est quidem pusilla, quia ad paucos, aut in paucis rebus suam potestatem extendit. Quid enim possunt reges, aut Prælati præcipere, quod non parum sit, cum totum illud sit exterius, & ad actus interiores mentis nequaquam eorù dominatio procedat: & quicquid ipsi præcipiunt, inde vim habet, quia à vera virtute præcipitur: aduersum quam si aliquid iubeant, nullo modo ad præstandum subditos ligant? Serò quoque dignitas mundi incipit. Quot enim annis expectandum est, vt quis ad aliquam potestatem ascendat? quantum laborandum, & vigilandum, vt aliquem splendorem in republica acquirat? & quantos vidimus, in quorum domos dignitas, & mors simul ingressæ sunt, & dignitas non ad dignitatem conuulit (sed ad immensam tristitiam subintravit?) Citò etiam discedit; quoniam aut temporalis est, & tunc elapsis paucis annis finem accipit; aut perpetua (sic enim mandax sæculum aliquas dignitates vocat, eo quòd tota vita non cessent) & hæc in morte hominem inglorium, & nudum, & multis scrupulis implicatum derelinquit. Ac tandem ista dignitas non tam refrigerium est, quàm tormentum illam habentis, qui sapissimè propriæ necessitati, & imbecillitati seruire non potest; qui dum manducandum esset, ieiunat; dum dormiendum esset, vigilat; dum paulandum, elaborat; qui edacibus curis discerpitur, tristitiis affligitur, & supra vires laboribus oneratur. At dignitas perfectionis magna est, & (vt ita dicam) ampla, quæ si volumus, citò incipit, & numquam nos deserit, & sanctissimis voluptatibus nos ipsos illinit. Quis enim eius magnitudinem poterit explicare, quæ omnes cogitationes, omnia desideria, omnia verba, & omnia opera mentis nostræ componit, & Deum nobis propitium, Angelos beneuolos, homines amatores, & omnes creaturas subditas reddit? Quis eius citum aduentum exprimet, quæ facile videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illum?] Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat, & si vitorum & senum corda diligit, consortium adolescentium, imò & puerorum, & virguncularum non erubescit. Quis eius perpetuitatem declaret, quæ vsque ad mortem virum perfectum sequens, cum carnalibus oculis videtur secedere, tunc crescit, tunc fit ipsa omnino perfecta, tum mentem fortius afficit, & inseparabilis astringit? Quis tandem eius dulcissimum conuictum

Sapient. 6.

eloquatur, quæ nos laboribus eximit, curis liberat, & inter tot huius vitæ molestias vitam iucundam, quietam, & conuersationi cœlesti affimilem tribuit? Et illam dignitatem suspirant homines, illam quarunt, illam amulantur, illam amplectuntur, illam, si possunt, augent, illam, ne discedat, ambabus manibus tenent, fugientem consecantur, labentem erigunt, & hanc perfectionis dignitatem celsissimam tot nominibus gloriosam, tot insignibus titulis honoratam, nec possidere, nec promouere, nec imitari, nec querere, nec cupere, nec cogitare procurant; quid est hoc, nisi fatuitas & insania stultissima? Quamnam ob causam aliquam sæculi dignitatem inquirunt? An quia illos diuites facit, & ad rerum temporalium abundantiam confert? sed perfectio est thesaurus incomparabilis, cui omnes mundi opes seruiunt; & qui se habentes cœlestibus diuitiis, & supernis bonis multiplicat. An quia honore & reuerentia prosequitur? Sed perfectio honorem amplissimum defert, & viros sanctos ab omnibus honorari facit, & ante illos omnem principum & regum honorem prosternit. An quia umbra deliciarum inest? Sed perfectio non tam voluptatibus plena, quàm ipsa sanctissima voluptas est, quæ mare conscientiarum sedat, fluctus desideriorum tranquillat, & delicias Angelorum, quas in Dei cognitione & amore omnis vera sapientia constituit, è cœlo in terram aduehit, & in mentes perfectorum inuehit. An quia ipsa dignitas per se digna est, quæ appetatur? demus hoc gratis, quod verum non est. Sed perfectio seipsa honestissima; seipsa pulcherrima, quæ huius vitæ est summa felicitas, quæ nos Deo amicos, Dei filios efficit, quæ nos vnum spiritum cum Deo facit, quantum magis erit digna, quæ ab omnibus exoptetur? Si ergo delectamini sedibus, & sceptis, ô reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.] Hæc enim sapientiarum aut perfectionis dignitas vestras dignitates stabilis & firmas: ideo namque non cadunt, quia sunt in mundo viri iusti, & sancti, qui Dominum placant, ne in nos peccatores eius indignatio deficiat. Et si perfectionem colueritis, regnum, & dominatio vestra nullum videbit finem, quia post hanc vitam, in qua cum labore regnatis, in futura cum summa tranquillitate regnabitis. Regnabit, inquam, non soli vos, sed quotquot perfectionem amauerint, & secundum normam illius suam vitam insituerint. Quia hoc habet perfectio, vt principes, & reges ad maiorem dignitatem extollat, & pauperes, ac seruos in dignitatem regiam, & in filiorum Dei statum adducat.

Eò autem hæc præstantissima perfectionis dignitas, maiori conatu à viris spiritualibus appetenda est, quàm à secularibus quælibet dignitas humana, quod illa sit Dei beneficio velut homini propria, & hæc aliena ac quasi exterius ascita. Quisque verò maiorem solet curam apponere, & vigilantiori conatu neruos intendere, vt perditam dignitatem recuperet, quàm vt nunquam à se habitam, nec debitam sibi acquirat. At dignitates temporales esse extraneas hominibus ex eo perspici potest, quia omnes nudi; & pauperes nascimur, & nullus est, qui ab ipsa conditione sua, aut diuitiis abundet, aut inter alios excellentia alicuius dignitatis emineat. Nudus egressus sum de utero matris meæ, ait Iob, & nudus reuertar illuc.] Sed & ille magnificus rex, qui diuitias, & gloriam talem accepit, vt nemo fuerit similis ei in regibus cunctis retro diebus, ait suum natale verbis edicens: Et ego natus accepi communem aërem, & in similibus factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: in inuolumentis nu-

tritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit naturæ initium.] Dignitas verò gratiæ, & perfectionis velut propria est, quia ab initio nostræ naturæ nobis dono Dei data, nobiscum nata, & cum ipsa natura humana enutriat. Nam quis nescit, hominem, secundum veriorem Theologorum sententiam, in gratia fuisse creatum, & sanctum, ac perfectum fuisse à Deo conditum; qui filios gratiæ, & iustitia ornatos generasset, si in data sibi reuerentia permansisset? Hanc dignitatem communis humani generis pater, per inobedientiam sibi, & nobis perdidit, & quisque post baptismum in crimen incidens, restitutam sibi eadem gratiæ dignitatem amittit. Quæ ergo dementia hominum est, ad fucatas & caducas, & sibi non debitas huius sæculi dignitates aspirare, & hanc verissimam dignitatem, & perpetuam, & maximam, & velut propriam postmittere? Finge obsecro, vt hanc hominum cæcitatem intelligas, esse quemdã adolescentem filium magni regis, & heredem regni, qui facili negotio possit regnum patris, à quo pulsus est per iniuriam, iterum accipere, & cum magna gloria regnare. Si iste seipsum sciens, & regiam tuam pro sapiam agnoscens, regnũ illud debitum sibi contemneret, & in paruulo rusticoũ vico ad iudicis potestatem annuam anhelaret, nõne illum stultum putares, & tamquam insanũ & amentem sperneres: qui ridiculam potestatem, & post annum finendam ambiret, & maximam dignitatem, illamque; per totam vitam, duraturã pessundaret? O homo, ô religiose, si forte religiosus es, qui hæc scripta reuoluis, tu es ille vir, qui in hanc stultitiam incidis, & hanc rem sanè detestandam committis. An non tu es filius Adæ, qui sibi, & tibi gratiæ & perfectionem perdidit? An non (quod sine dubio plus est) tu es filius Christi, qui omnibus filijs Adæ (quantum ad se pertinuit) gratiæ & sanctitatis dignitatem recuperauit, & eã veluti in propatulo exoptuit, vt quisque homo ad eam gratia adiutus, facili negotio rediret? Quare ergo annuas aut triennes dignitates ambis? quare honores vanissimos sequeris? quare ineptas laudationes aucuparis? quare tuo statui nõ debitas comoditates inquiris? Imò quare virtutẽ proteris, iustitiã deseris, perfectionẽ detestaris, sanctitatẽ, & animæ puritatẽ, ad quam vocatus es, obliuisceris? Certè tu es filius gehennæ, homo vanissimus, atque stultissimus, qui iuxta vanitatẽ tuam inanes honores amas, & verissimũ honorem, ac maximã dignitatẽ sanctæ perfectionem perdidisti. Certè ab omnibus deplorandus es, qui tanta paupertate sordes, qui in tanta miseria rides, & in tanta calamitate constitutus non sentis. Supra mortuum plora, inquit Ecclesiasticus, defecit enim lux eius: & supra factuum plora, defecit enim sensus.] Supra quẽ tristius plorabimus, ô sapiens vir? An supra mortuum, quem non solus sensus, sed vita quoque reliquit? Imò mihi videtur magis plorandũ esse super factuum, quem miserabilis fors, si nõ vita priuauit, ac quasi in bestia rationis expertem commurauit. Et animus carne solutus pro natura sua cœlestia & terrestria discernet, ac corpori hominis fatui alligatus functiones mentis exercere nõ poterit. Ploremus ergo te supra mortuũ, ô tepide, ô honorũ spiritualium, & gratiæ dilapidator, qui Dei similitudinem cœlesti, vitam spiritualem pro carnali, cõmutasti, pro falsis honoribus, contra ius & fas acceptis verũ honorẽ perdidisti; & adeo sensus hominis fugit à te, vt hoc malũ non sentias, hæc calamitatem non desceas, & hanc miseriam miserari, scilicet vitam tepidam, & seignem volens, & libens admittas. Nos igitur, q in hoc nati sumus, vt Deo largissimo remuneratori seruiamus, & in hoc ad vitã religiosã vocati, vt perfectionis dignitatẽ cõsectemur, adiciamus

D. Tho. 1.
p. 9. 95. ar.
1. q. 100.
ar. 3.

Sapient. 5.

Iob 1.

3. Reg. 13.

Sapient. 7.

Ecl. 12

Zanit. 1.

Cass. lib. 4. de inst. 6. 18.

Mat. 20. Luc. 12.

Prov. 24.

Matth. 6.

Jacob. 1.

mus muliebrem animum, & vires masculorum induamus, vt dignitas hæc fortibus præparata ad nos pro ea defudantes adueniat. Memores simus, holocaustum Domino offerendum masculum esse debere,] & illi in altari orationis animum masculum, & virile litemus, ne si fœmineus & pusillanimis fuerit, manus sacerdotis Christi illum cum indignatione ex altari proiciat, & non ignis perfectæ charitatis absorbeat. Non aliorum socordia nos à sancta institutione retrahat, nec tepiditas à cura omnis mortificationis & virtutis abducatur, quia paucorum more viuendum est, si eam dignitatem adepturi sumus, ad quam pauci, & selecti, & fortiter dimicantes perueniunt. Considera, inquit Cassianus, de paucis & electis effectum, & ne exemplo, ac tempore multitudinis refrigescas, sed viuere ut pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.] Et pusillus est grex, cui complacuit Patri hereditatem dare.] Si autem scire auemus, qui sunt isti pauci, more quorum est viuendum: Illi sunt Apostoli, illi martyres; illi confesores, illæ virgines, illi omnes sancti, atque perfecti viri, qui nos præcesserunt, aut nunc viuentes in terra circundant. Illi sunt præcipuè, qui nos in Christo genuerunt. Franciscanus Franciscum videat, Dominicanus Dominicanum aspiciat, Augustinianus Augustinum sequatur, Socius Iesu ipsum Iesum Christum, cuius militiæ nomen dedit, & antesignanum eius Ignatium imitetur. Detestemur vitam tepidorum, & qui sub habitu paupertatis, & humilitatis, diuites fieri cupiunt, dum nullam necessitatem patienter sustinent, & dum in mundo splendere curant, magni videri volunt. Et sequamur non habitu tantum, sed vitam illorum vitam, quæ nobis vt cibus optimus & suauissimus in mensa religionis propositus est, vt eum meditationis dentibus conteramus, affectibus deglutiamus, & in nostra opera commuremus. Comede fili mi mel, ait sapiens, quia bonum est, & fauim dulcissimum gutturi tuo.] Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quàm cum inuenieris, habebis in nouissimis spes, & spes tua non peribit.] Vita patrum nostrorum est mel, quia eius memoria suauissima est, & sapor, siue imitatio dulcissima. Hæc nobis in mensa religionis apponitur, dum mens nostra exemplis perfectorum eruditur, & monitis Prælatorum accenditur, & lectio regularum ad eorum sequelam & imitationem inuitatur. Comedamus hoc mel, quia reuera bonum est, & nostro cordi salutariferum, quia dulcissimum est, & palato considerationis suauissimum. Comedamus, inquam, illud, & vitam patrum nostrorum sequamur, quæ in hora mortis dabit nobis certam salutis spem: quæ nequaquam nos decipiet, sed in possessionem illius rei, quam sperabamus, deducet. Ne autem putemus nos posse, & hunc suauissimum cibum comedere, & simul cibum mundi, & commoditates sæculi deuorare, quia hic cibus sine dubio nos fœdat, & immundos ac impuros reddit, comestio autem ciborum sanctorum immundis vetita est, & margarita porcis denegata. Nemo potest duobus dominis seruire,] quomodo ergo poterit vno ore, quod toto corpore angustius est, & simplicius, calicem salutis, & calicem demoniorum bibere, & cibum sanctitatis, ac cibum damnationis esurare? Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.] Quis est hic, nisi qui affectus suos in rebus simul diuinis & profanis ponit, & vno corde, scilicet vno affectu, nunc spiritualia sectatur, & alio corde, scilicet alio affectu, statim terrena cupit, & vana conquirat: Hic inconstans est, & instabilis in desiderijs suis, & sicut venator, qui duas simul feras insequitur, nullam capit, ita qui

A spiritualia, & carnalia captare intendit, vtramque amittit.
 Operemur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quod profectò faciemus si vitam & mores tepidorum fugerimus, & feruorem sanctorum patrum nostrorum coluerimus; si terrena omnia, dignitates, commoda, & delicias, ac res superfluas despexerimus; & cœlestia, humilitatem, paupertatem, & corporis ac mentis puritatem fuerimus amplexi: Sed heu, dum illa, quæ non profunt, quaerimus, quæ nobis in hac vita, & in futura vitia sunt, & honorabilia, imprudenter amittimus. Et dum sapientes sumus, ea sapientia, quæ stulticia est apud Deum, quæ terrena, & paramus & promouemus, insipientissimi efficiamur, & sapientiam cœlestem destruiamus, & lapidamus. Sinistrum latus, id est, corpus, cui à Domino de necessarijs satis in religione prouisum est, superuacuis commodis velut regum mentis protegitur; & dextrum latus, nempe mentem, ò lugenda stulticia! nudam & telis hostium expositam derelinquimus. O quàm graphicè Bernardus describit mores nostros, dicens: Quantos inuenire est, fratres, ex his quoque, qui in religionis habitu, & proposito degunt perfectionis, quos terribilis illa Prophetæ sententia comprehendisse videtur: Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea.] Nempe sinistri custodia lateris tota sollicitudine incubantes, calent admodum, sed sapientia huius sæculi, cui abrenunciassent debuerant; ea quoque nihilominus, quam reuelat caro & sanguis, quibus iuxta Apostolum noluisse acquiescere videbantur. Denique videas eos tam anidè luera captare presentia, tam seculariter transitorijs utilitatibus adgaudere, ad terrenarum damna vel minima facultatum tam pusillanimitè turbati, tam carnaliter super his decertare, discurrere tam imprudenter, tam irreligiosè secularibus sese implicare negotijs, ac si hoc esset tota eorum portio, hæc vniuersa substantia. Attentiùs sanè agricola pauperem excolit fundum, sed cui fortè nulla amplior, pretiosiorve sit possessio. Buccellam panis in sinu suo mendicus abscondit, quod in facellis suis solum hoc metalli genus eruginet. Tu quid ita extremæ huic paupertati, & quidem proprij malè prodigus laboris incumbis? Est & alia tibi possessio, et si fortè remota. Erras. Nihil tam prope nos, quàm quod intra nos est. At fortè non quidem longius positam, sed inutilem esse causatis, vt hic tibi querendam magis sufficientem putes. Falleris, ibi magis inuenies imò non inuenies, nisi ibi. An verò æstimas, quòd vel operam tuam non exigat, vel minus respondeat operanti? Aur certè in tuto credis esse locatam, nec vlla deinceps sollicitudine custodis egeret? Quodlibet horum sapias, scito quòd despicias vehementer. Ibi enim quàm maximè, quæ seminauerit homo, hæc & metet.] Sed & qui parèe seminar, parèe & metet; qui verò in benedictionibus seminauerit, de benedictionibus & metet,] vt faciat vnum tricessimum, vnum sexagesimum, vnum centesimum.] Habes autem thesaurum istum in vasis fictilibus, si tamen adhuc habes. Puto enim iam amisisti, puto iam sublatum est; puto iam comederunt alieni robur tuum, & ignorasti, nec potes thesauro tuo cor apponere, quippe qui thesaurum ipsum non habeas. Alioquin quaeso te, si tam sollicitus es, si nec minima spernis, si tam prudenter seruas paleas tuas, etiam horreum tuum seruare memento, & custodire. Imò verò non exponas thesaurum tuum, qui sic incubas sterquilinio tuo. Fortè enim illud tibi inuidet mille, sed istum obsident decem millia, nec minus super abundantes astutia, & crudelitate,

Bern. ser. 7. in Pf. Qui habet lat.

Pf. 136.

Galat. 1.

1. Cor. 2.

Galat. 6.

Matth. 13.

Psal. 90.

quàm numero. Cadent, inquit, à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: Verre illuc oculos fidei, fortè enim iam intruperunt aditus, fortè iam liberè diripiunt omnia, fortè iam spolia ipsa distribuunt. Quid sinistro lateri tam male studiosus obseruator inhaeres, nisi quod non in latere iam tibi esse, sed in facie sinistra videntur, quòd hæc prouideas in conspectu tuo semper, & qui tangit hoc, non latus terigisse videtur, sed pupillam oculi tui? Cæterùm iam nunc tibi prouide, quisquis es, dextri negligens, sinistro lateris cultor, ne cum hædis locū accipias in sinistra, quam elegisti. Asperum verbum est, fratres, non immeritò expauistis. Hactenus Bernardus. Qui his verbis non solum tepidam vitam nostram taxat, & immoderatam adhesionem ad res terrenas damnat, sed etiam ad cautelam & timorem hortatur. Timeamus ruinam miserabilem, quia quo statu altiores sumus, eo, si cadimus, periculosius feriemur. Cadere autem est, terrena, quæ deseruimus, resumere, contempta diligere, & in seruore spiritus intepescere. Cauemus etiam ab his; quæ possunt spiritum nostrum ad superna tendentem illicere. Et hæc quidem sunt, quæ speciem externam boni carnalibus oculis præferunt, quæ splendent, quæ delectant, quæ ornant, quæ carni placent, & sensibus blandiuntur. Fugiamus ista, quæ si solum ligarent nos, adhuc extremum nõ esset malum, at victos post se trahunt, & è vita spirituali in carnalem præcipitant; & tandem in barathrum detrudunt. Quid autem calamitosius, quàm virum religiosum à sæculi compedibus exolutum, & non ad quodcumque genus vitæ, sed ad vitam perfectam vocatum, pro gloria ignominiam, pro vita mortem, & pro æterna salute sibi damnationem parare?

Luc. 14.

At multa sunt hæc, quæ nos remorantur, fortia, quæ illiciant, astuta, quæ impediunt. Fateor, sed quæ ad cursum spiritualem inuitant, & ad perfectionem instigant, sunt sine vlla comparatione fortiora. Putamus tepidi, & ipso tepore decepti, quia vires nobis non suppetunt, quibus aut arcem perfectionis capiamus, aut tot hostibus iter impediuntibus reluctemur. Dicimus nobismetipsis, vt nostram ignauiam consolemur, verba illa Saluatoris: Quis rex irurus comittere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Et sic dum bonum legimus, & malè intelligimus, & peius interpretamur, miseræ & carnali vitæ nostræ aliquod prætextum defensionis inquirimus. Sedemus igitur, imò & iacemus in sterquilinio imperfectionum nostrarum, & in cœno fetidissimo foecordia procubimus. Ita cogitamus, an cum minori virtutum numero, possimus tot vitiis occurrere, tot hostibus resistere, tot prauos affectus superare. Non omnino miserum esset, si hæc cogitarem, quia fortè inter cogitandum lux diuina nobis affulgeret, & tenebras ignorantia dispelleret. Sed cogitamus inania, euoluimus ambitiosa, imaginamur impura, quarum ista posteriora nos sedant, media insistant, priora eruant. At si aliquando mens nostra de bello cogitat, & seipsam de virtutum ac vitiorum conflictu sollicitat, quare non cogitat, quia vna virtus multis est vitiis fortior, vna bona voluntas multis affectibus prauis superior, vna gratia innumeris aduersariis robustior? Si verò mens humana tam crassa est, & ignara, vt nulla facta comparatione virtutum, solum numerum cogitet, & solum multitudinem pro se, aut aduersus se pugnantem aduertat, quare non cogitat, quoniam Deus, omnia creata, Angli

A & homines, cœlestia & terrestria, visibilia, & inuisibilia eam aduersus vitia pugnantem iuuant, eam cingunt atque defendunt? Ideo inquit sapientia de iustis loquens; Accipiet regnum decoris, & diademata speciei de manu Domini; quoniam dextera, sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos: Cogita nunc, o frater tepide, qui ad excusandas excusationes in peccatis Scripturæ legisti, an possis cum centum millibus, imò cum infinitis millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad te? An tu non poteris accipere regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini? An non poteris perfectionem consequi, qua in teipso regnes, & in perpetuum victor coroneris, quam pueri & puellæ consequi potuerunt, & victis hostibus ad sanctitatem properarunt? Sed esto, quod tu non potes, an Deus in te non poterit? hostes tuos vincere, affectus cohibere, lacertos roborare, pedes dissoluere, vt curras, & pugnes, & vincas, & victoriam de teipso reportes? An omnis creatura Dei fortitudine armata, quæ pro te contra insensatos, id est, contra vitia, pugnat (dum Angeli te circumdant, & homines te huius vitæ miserias suis afflictionibus edocent, & reliquæ res sua pulchritudine & vtilitate, & suauitate in suum creatorem amandant) non poterit te ad expugnandam perfectionem, & ad superandas vitiosas consuetudines adiuuare? Satis degeneris animi es, si tantis prædiis suffultus, non vales cum hostibus ligatis configere, & cum aduersariis non existentibus, manus conferere. Demones enim hostes ligati sunt, quos Christus sua morte ligauit, & ne nisi solo latratu nobis nocerent, suis doloribus compediunt. Et peccata sunt velut aduersarij non existentes, quia eorum esse, est non esse, dum in virtutis, aut bonitatis priuatione consistunt. Imò & satis blasphemus eris, si audeas in Deum os apponere, & tecum ipse cogitare, quia Dei potentia adiutus, non poteris mentem tuam in fastigium perfectionis attollere. Ne ergo hanc tibi ipsi maculam innotas, cõsidera te esse vnum ex Elephantibus, quorum dentes mystico Salomoni, id est, Christo, in libro Regum oblati sunt. Si enim isti, vt putat Eucherius, magnos peccatores designant, quem maiore peccatorem putare debes te, qui multum peccasti, & parum de peccatis doluisti, & perfrecta fronte vitam tuam quasi secundum externam speciem solum emendasti. Ad diligentiam ergo non hominis, sed Christi Redemptoris tui, & ad eius imperium manuesce: ac præceptis tui liberatoris obtempera, vt te armis celestibus armet, & ad prælium contra inuisibiles hostes erudiat. Admitte supra te, ad modum illorum elephantorum, quorum sic mentio in Machabais, turrim legis Euangelicæ ligneam, machinis præceptorum, & consiliorum instructam, & virtutibus tamquam vitis bellatoribus communitam, qua in hostes irruas, & ipsorum dolos, & conatus euertas. Si autem adhuc in te iram, & indignationem ad pugnantem non sentis, inspicere sanguinem vuae, aut racemi illius, quem exploratores terræ promissa in veche deportarunt (& vt Ambrosius ait, significat Christum Iesum) cuius aspectu ad prælium ineundum exciteris. Sic dentes tui pacifico regi ad ornamntum offerentur, & meditatio tua his dentibus designata, vt Origenes putat, qua mysteria cœlestia cominuis, non arida & inutilis erit, sed dum affectus & desideria excitat, &

Sap. 5.

3. Reg. 10.
Euch. li.
1. formu-
la spiri-
tualium.1. Machab.
6.Num. 13.
Ambr. 1.
de fide c.
9.

opera actusque componit, tuæ mentis ornatu deserviet.

Facilis ergo nobis est ad perfectionem, & vitæ puritatem accessus, quia semper se maximam, & primo aspectu inaccessibilem, non vitibus humanis assequimur, sed Spiritus sancti afflatu ad illam impellimur, & efficacissimis Dei auxiliis; & omnium creaturarum (vt ita dicam) monitis, ad eam capessendam adiuvamur. Nec parum hanc facilitatem aperit vitiorum; ac veræ virtutis facies, quæ sese oculis nostris obiiiciunt, & vtriusque monita, quibus nos sui sequelam persuadere nituntur. Si enim id amamus, quod sub specie boni & pulchri nobis proponitur, si illi credimus, cuius auctoritate, aut suasionè conuincimur, quis nonvideat facillimum esse virtutem diligere, & eius præceptis obedire, & difficillimum (si sensus noster integer esset) vitia diligere, & eorum iussis obtemperare? Perfecta virtus clara est, vitium obscurum, & tetrum; virtus pulchra, vitium fœdum, & execrabile: virtus honesta, vitium inhonestum, & turpe illius facies ita pura, & illibata est, vt oculis bonorum & malorum capiat, istius aded impura & maculosa, vt nunquam nuda appareat, sed quantum potest, virtutis ipsius tegumento tamquam fūco se contegat. Et ideo Hieronymus ait: Venena non dantur, nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt, nisi sub specie vmbraque virtutum. Igitur facilius est virtutem, & animi puritatem colere, quam vitis enormibus & horrendis, aut larvis deformibus adherere. At quibus verbis vitium, & quibus vera virtus nos ad sui sequelam hortantur? Certè illius verba puerilia sunt, quæ solos stultos, & sensibus pueros, decipient, tamquam in sola impura voluptate fundatissimus gratia & prudentia, quæ, quò quis sapientior est, eò ipsum efficacius conuincunt, velut æterna & certissima veritati subnixæ. Hinc hominem virtus, ait Prosper, admonet suæ salutis, & vocat inde consuetudo vitiosa descendere à se volentem remoratur, & paulisper à se auerso, nec ad virtutem plene cōuerso vilitatē voluptatis admonitione blanditur: & omnes illecebras, quibus olim perditè fruebatur, ostendit. Turpia quoque desideria, quibus vincitur, immittit, ac iam penè fastidienti blandum nescio quid molliter insuffurat: & supplicat, ne præponat mollibus dura, lætis tristitia, certis dubia, præsentī voluptati futura. Cogitet: quàm pœnale sit, atque difficile dulcibus catere deliciis, illecebris renunciare carnalibus, abstinentiæ iuhis grauari laboribus, ieiuniorum, ac vigiliarum cōtinuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire, contra Diabolum decipiendi peritum resistendo arma corripere, insidias eius, ac fraudes vigilantis animi cautione vitare, quàm denique miserum sit, enormitate tantæ asperitatis euctum, ac Diabolica fraude deceptum, ad repudiata redire, voluptatibus, quas abiecerat, frui, & omnibus, quæ incautè laboriosum suscipiendo propositum contempserat, delectari. His & talibus vitiosa consuetudo, dubium sanctæ definitionis affligit. Virtus contra morantem confidenter obiurgat, ad delectationes puras, castasque delicias, quibus fruuntur, omnes sui amatores inuitat: offert nudo iustitiæ vestimentum, illuminato sui apparatus demonstrat ornatum; dissidenti de se protectionis suæ promittit auxilium: hortatur, & prouocat, vt definitionis ambiguitate deposita, propositum spirituale suscipiat: perseueraturum se in suscepto labore propositi sui, non sua possibilitate, sed Domini misericordie confidat: nec suis viribus, sed gratiæ omnipotentis fretus auxilio, contra Diabolicas impugnationes

A victicia arma corripat. Cogitet quanti, & quantæ potuerunt, & possunt, quod se posse desperare: vnde illi, vel illa potuerunt, inde se posse firmiter credat: certa spe spiritualia carnalibus, & terrenis celestia, & futura presentibus anteponat. O quàm dissimilia verba, quàm diuersa monita, quàm distantes exhortationes, vitium, & virtus instillant! quàm stultæ illæ, quàm prudentes istæ aures nostras pulsant, cor prouocant, mentem inuitant. Illæ solam puerilem voluptatem, & segnitiam, & dissidentiam obvolunt, hæ certissima animæ bona fortitudine ad ea consequenda, & diuinæ benignitatis auxilia prætentunt. Vitij verba astutia, & leuitatis amica, sub magna vocum serie nihil aliud, quàm venenum celant iniquitatis, sermones verò virtutis modestiæ, & grauitatis pleni sub breui oratione monita comprehendunt salutis. At si ipsa paulisper habitum tantæ humilitatis deponeret, & seipsam non ad vanitatem, sed ad veritatem, & salutem nostram ostentaret, quæ verba tam grauiæ, tam efficacia, tam potentia ad nos conuincendos proferret?

B Ego sapientia, diceret, habito in consilio, & eruditus interferum cogitationibus. Ego pretium, & quidem eximium, quo homines mortales ad immortalitatem perueniunt. Ego gemma pura, & splendida, qua animæ sanctæ exornantur. Ego thesaurus, cuius possessione omnes Angeli, & sancti discedunt. Ego altitudo, ex qua tum cœlestia tum terrestria conspiciunt, & quale vnumquodque sit manifestè cognoscunt. Ego claritas à sole iustitiæ ad mortales delapsa, ciuitas Regis magni, & imago pulcherrima regni cœlorum. Per me homines antea inimici, se in Dei amicitiam ac familiaritatem insinuant, & animæ sanctæ ad filiarum, & sponsorum Dei dignitatem ascendunt, & felicitatem omnem huic mortali vitæ cognatam acquirunt. Ego inter vniuersa Dei opera euidenter emineo, cuius possessionem solis charissimis scio esse concessam, quæ templum Dei fiant, & omnis sceleratis impuritatem abiciant. Mecum sunt diuitiæ, & gloria, puræ deliciae, & iustitia. Melior est fructus meus & vtilior auro, & lapide pretioso, & gemina mea argento electo. Ego mater pulchritudinis & pacis, qui me habentes securos facio, & me diligentes in incredibilem libertatem adduco. In me inuenitur cogitatio sancta, concupiscentia pura, & ex Dei prouidentia fiducia firmissima. Ego cupientes me, illumino, quærentes inflammo, sectantes libero, possidentes roboro, & in ipsis omnem iniquitatem consumo. In me omnis gratia vitæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini, quia spiritus meus super mel dulcis, qui nec in ipsa morte amarefcit, & hereditas mea, quam amicis meis habeo præparatam, super mel & fauam. Memoria mea in generationes seculorum, quam nulla inuidia maleuolorum scelerat, nulla peruersitas iniquorum imminuet, nulla temporis duratio delebit. In nunc piger, & tepide religiose, in nunc lupe sub habitu ouis auide depradator, posside commodam, cumula supellectilia, ambi honores, dilata tui nominis phylacteria, semper egenus eris, semper pusillus, & nunquam tranquillitatem obtinebis. In nunc otiositatis amator, confere manus, aut absconde eas sub ascella, nūquam leuibus peccatis ablineas, nunquam tuam iram, & ambitionem, & prauos affectus cohibeas, nunquam demoni humilitatis & obedientiæ armis relictis: obliuiscere pristina exercitia orationis, distractioni te trade, vanis colloquiis

Prou. 8.

Prou. 8.

Ecl. 24.

Hier. epistola ad
Lazarum de
inf. filie.

Prosper. lib.
3. de vita
contemp.
c. 16.

Bonou.
ip. cub. ad
scipin. ad
finem.

iniste, & negotiis saecularibus meum tuam sub prae-
textu pietatis implica. Scito tamen, quod animam
tuam periculo damnationis exponis, quae ex paruis
ad magna ruit, & ex ista mendicitate ad extremam
paupertatem veniat: aut quod certissimum est, semper
eris fratribus scandalo, Praeclaris oneri, tibi ipsi ama-
ritudini, & numquam perfectionem consequeris. Ecce
Domine, ut dixit Seraphicus doctor tuus, pul-
chrum depinxit hominem pictor saeculus, & infinitis
imperfectoribus, & miseris plenus perfectionem
descripsi, sanctitatem, ut potui, delineavi, & spon-

Am diu desideratam, numquam tamen a me habitam
laudibus satis exilibus extuli; da iam, si forte haec par-
ticula mea opella desiderio tuae gloriae elaborata tibi
placuit, huius laboris praemium, apud quem non
moratur opus mercenarij usque mane, ut consilium
repidorum longe sit a me, ut eorum scilicet vitam in-
cipiam fugere, & ipsorum mores declinare. Da, ut
perfectos, quos certissime amo, & veneror, deside-
riis sequar, operibus prosequar, & post eorum ali-
qualem imitationem, te mercedem meam, & praemium
meum desideratum accipiam. Amen.

Leni. 19



ORATIO AD POSTVLAN- dam perfectionem.

DEVS meus, & omnia, omnis perfectionis fons, ac sanctitatis origo, qui
nos tui similes, sanctos nempe, atque perfectos fieri voluisti, & ore v-
nigeniti Filij tui, ac sanctorum magistri ad perfectionem induxisti il-
lis verbis: Estote perfecti, sicut & pater vester caelestis perfectus est:]
& ne difficultatem aut impedimenta saeculi causaremur, a laqueis saeculi eripuisti,
& ad statum perfectionis, & scholam omnis sanctitatis vocasti, expande sinus be-
nignitatis tuae, & manus liberales aperi, ut in nos perfectio se demittat, & larga
omnium virtutum benedictio descendat. Aufer, Domine suavissime, omnes ini-
quitates nostras: dele sceditates nostras, ne aliquid sit in nobis, quod perfectioni
obstet, quod puritati contradicat, quod aduentum in nos magna cuiusdam san-
ctitatis impediatur. Sic autem purificatos donis tuis comple, beneficiis cumu-
la, sanctis desideriis excita, & feruore spiritus reple, ut nunc di-
gnum sanctitatis receptaculum, & post hanc vitam glo-
riae tuae, ac tui ipsius habitaculum effici
mereamur. Amen.

